



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Reverendi Patris Vincentii Carafæ, Septimi Societatis Jesu Generalis**

**Bartoli, Daniello**

**Leodii, 1655**

Liber Primus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42928**



VITA  
 VINCENTII  
 CARAFÆ,  
 SEPTIMI  
 SOCIETATIS JESU  
 GENERALIS.  
 LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

*Ejus ortus, & vitæ matris  
 epitome.*

**N**EAPOLIS ab amplitudine Ortus.  
 ac nobilitate notissima civi-  
 tas, & Regni, cui nomen tri-  
 buit, caput, Vincentium ex  
 inclyta Carafæorum gente  
 orbi dedit. Fabricius Carafa, & Maria  
 item Carafa genuêre: nono, ut creditur,  
 maii anno millesimo quingentesimo octo-  
 gesimo

A

gesimo quinto. Ille Andriæ Dux, Comesq; Rubrorum, natu primus Carafæi generis, quâ stirpem respicit à Statera dictam, ut sejungatur ab altera, quam vocant à Spina, ex eodem principe universæ gentis stipte: Hæc autem Aloysii Principis Stigliani, ejusdemque Ducis Mandragonæ, & Comitæ Aliani filia, ex matre item perillustri Lucretia del Tufo, natâ Marchione Lavelli. Uterque Pontificem, Purpuratos S. R. E. Patres, aliosque sacri ac profani ordinis Principes, Archiepiscopos, Patriarchas, Apostolicos Legatos inter majores suos longa serie recenset. Quoniam verò Sancti viri virtutes, non Principis laudes, enarrare institui, una hæc Maria ad Vincentii decus mihi posteris commendanda est. Quippe ab hac ille editus non tam mundo, quàm Christo, pariterque precibus ac virtutum exemplis educatus est: ut mihi testis ipse in suis favorum cœlestium commentariis.

Matris  
pueritia.

Maria igitur Carafa, Vincentii mater, jam inde à teneris unguiculis pietatem ita complexa est, ut ejus studium innatum ipsi videretur. Nihil illi secundum Deum charius unquam Deiparâ, nihil  
in

in ore suavius; hanc & Matrem & Dominam jam inde appellabat: atque ut hæ-  
 rere sibi in animo demonstraret, illius  
 icuniculam in sinu, atque adeo super cor-  
 de gestabat; grandiozem item imaginem,  
 quòquo iter erat, circumferebat, etiam  
 cum Duci parenti ditionem suam lustran-  
 ti comes veheretur. Tum igitur prima  
 puellulæ cura arulam struere, in ea Divæ  
 signum locare, flexis coram illa geniculis  
 identidem per horas integras Reginae  
 cœli supplicare, & parvulos amores, in-  
 nocentissimamque animam dicare & ad-  
 dicere, ut parvula maria tota Mariæ, &  
 mariana foret.

Puerilibus annis egressa, parthenonem Adoles-  
 iniit, non ad Religiosum vitæ genus ca- centia:  
 pessendum, sed, de more Italicæ gentis,  
 ad septum pudicitia, Christianamque  
 teneræ istius ætatis sexusve disciplinam.  
 Verùm Maria parentum vota, ætatemque  
 prætergressa, quasi Religionis voto astri-  
 cta esset, ita illius munia obibat; usque  
 eò, ut agrarum curatrici Sanctimoniali  
 etiam in abjectis sordidisque ministeriis dicunt  
 famulam se præberet; gnara vel tum do- scribit  
 cente, qui trahebat, Divino Spiritu, ger- scribit  
 manæ

manæ caritati eò plus accedere splendoris ac gloriæ, quò se ad fordidiora vilioraque Dei causâ demittit. Inter hæc ætas conjugio maturuit, domumque illam revocavit, & parentes Fabricio Carafæ, Andriæ (ut diximus) Duci collocavere. neque tamen connubio illigata, Christo minus adhæsit. Quamquam enim virum, ut par erat, & amabat & colebat: tamen & hunc amorem illi quasi commodatum, ad supremum omnium Dominum pertinere ac referri oportere sciebat, & honorem marito delatum, observantiam ita præcipientis Numinis interpretabatur. Qua etiam ratione obsequium focruī debitum ex humilitatis Christianæ virtute ac legibus reddebat. ceterum etsi præter decorum sentiebat uti amictu comitatūve infra dignitatem; ita præter fas, fucatis coloribus faciei accersere venustatem. Neque verò induci umquam potuit ad ornatum ullum, qui vel tantillam speciem vanitatis præferret.

Munificentia  
principalis in

Alia scilicet erant fortis mulieris studia: *Manum* (ut illa Salomonica) *aperiebat inopi, & palmas suas extendebat*

ad

*ad pauperem.* Certè hoc unum illi ex <sup>pauperes.</sup> in-  
 inclyta profapia solatium, quòd munifi-  
 centiæ in egentes principalis facultatem  
 præbeat. Sollicitudo verò iis opitulandi  
 tanta erat, ut ipsamet egenos velut opi-  
 mam prædam venaretur: iisdemque sic  
 aderat, ut si singuli fratres sui essent; imò,  
 quasi Christus in singulis fuisset iuvandus.  
 Cùm vidua domum regeret, primos ad  
 alloquium admittebat; idque summo ma-  
 nè, ne quid illis de diurno quæstu dece-  
 deret. Etsi autem per mariti obitum,  
 ingenti ære alieno penè oppressa, nihil  
 tamen de consueta liberalitate remisit.  
 Quot diebus festis trecentos & amplius  
 in aulam Ducalem cogi iubebat, atque  
 ut necessitatibus animorum, non minus  
 quàm corporum, prospiceret, primùm  
 horam ac dimidiatam impendebat, pueris  
 quidem fidei Christianæ rudimenta, gran-  
 diusculis verò piam vitæ normam edo-  
 cendis: tum cibum omnibus, & à cibo  
 nummos aliquot impertiebat, inopiæ ad  
 insequentem proximè festum diem sub-  
 levandæ. Quin etiam suis ipsa manibus  
 ægris in nosocomio jacentibus inservie-  
 bat, iisque propensius quos foetentior

morbus infecerat, aut horridior gangrena tabefecerat; nihilque tam tetrum olebat, ut stomachum illi succutere posset. Nemo feminam principem dixisset naturâ & educatione delicatam, sed è plebeculæ facie ac gurgustiiis, aut in valetudinario enutritam. Ita virtus indolem firmat, nec sexum aut habitum corporis, sed se solam patitur sentiri. Porro sermo illi cum ægrotantibus salutaris juxtâ ac familiaris fuit, de rebus cælestibus ac æternis, de leniter ferendis, aut etiam jucundè tamquam à paterna Numinis manu, ægritudinibus. quippe hæc aliave corporis mala medicæ potionis instar animis adhiberi ad vitiorum purgationem: atque ut aliquid acerbitatis habeant, secum tamen adferre suavissimam animi pacem, optabilissimamque salutem. Agebat etiam de expediendis hac in vitâ, quæ culpâ nostrâ contrahimus, haud paucis nominibus; quippe hic pro mille fieri satis nummo unico; at in purgantibus locis totum prorsus & strictissimo jure exigi. Hæc aliave id genus sapiens mulier disputabat, atque ut misericordia liberalitasque perquam eloquens est, non ægrè persuadebat.

Illi

Illi porrò maximè cordi erant, quos pudor egestatem prodere vetat, utique omnium miserrimi. Horum nomina in indicem retulerat, singulisque clam & citra verecundiæ periculum, vel per se, vel per suos ferebat stipem: & si quando morbo tenerentur, ipsamet cibos illis coquere, ad palatum singulorum condire, orexim variè excitare, remedia curare: denique nescire Ducissam, ut miserorum ministram idoneè ageret. Si quæ puellæ per inopiam de pudicitia periclitabantur, illas suis sumptibus pro cuiusque conditione ac voto, partim in matrimonio, partim in Cœnobio collocabat. Vestes etiam indigis distribuebat, iis præsertim quos pudor publico, atque adeo templo, & Missæ sacrificio præscriptis diebus arcebat. Quam in rem Barium, Apuliæ urbem, sacerdotem religiosum sæpenu-mero misit, ut pauperum in usus pan- num telamque coëmeret. Et sanè sin- gulos in annos, ad octo aut decem, aut etiam duodecim aureorum millia hujus- modi largitionibus insumpsit, gravissi- mam omnino summam, pro familiæ, quam alebat, amplitudine, ærisque alieni,

Præser-  
 tim in  
 egestes  
 quos  
 pudor  
 occul-  
 tat.



quo maritus moriens domum prægravatam reliquerat, pondere, at pro caritatis illius magnitudine perexiguam. Ut enim hæc ingens erat, & subsidio pauperum velut pascebatur: ita non nisi immensa largitate exsaturari poterat.

Et in  
annonæ  
aliave  
difficul-  
tate.

Neque verò hisce limitibus circumscribi se passa est; si qua enim gravis extraordinem necessitas aliquando incidebat, sumptus etiam extraordinarios faciebat illi levandæ. Quondam evenit, ut Apulia magna annonæ caritate, atque adeo fame, & ex fame interitûs complurium egentium periculo laboraret. Ipsa igitur calamitate medullitûs icta, hordeum undequaque coëmit (nec enim aliud frumenti genus uspiam extabat) neque paucas familias aluit. Cùmque pauperum egestatem pro sua haberet, eosque pro fratribus, quamdiu ea caritas tenuit, alium ab hordeaceo panem gustare, domesticis nequicquam contra nitentibus, præcisè renuit; nefas esse dictitans, ut lautius carissimis fratribus, delicatiusque acciperetur. Aliàs, siccatis Andriæ regionisque circumjacentis fluminibus puteisque universis, præ summa vi æstivi calor

ad

ad plures menses cuncta torrentis (quando egeni benè secum agi credebant, si aquâ lixiviâ, aliâve lutosâ sitim explerent) eadem piissima illorum seu soror, seu etiam mater, stagnantem intra palatium aquam, satisque hæctenus à solari æstu defensam, in commune derivandam curavit. Et factum probavêre superi: si-  
 quidem cùm quinque omnino mensium spatio, omnes urbis incolæ, pariterque  
 accolæ, dies atque noctes inde aquam haussissent, stagnum nihil decrevisse compertum est, cùm tamen nulla ex origine nova in locum promptæ suffici aqua posset: quæ res nihil à prodigio abesse censenda est: Et profectò eos pudore perfudit, qui acriter contendebant, in usus aulæ ducalis aut molarum aquariarum illam aquam esse servandam. ut ratum sit, ab eximiâ quadam divinaque charitate, humanæ providentiæ leges secure negligi.

Cum prodigio.

Atque ea ipsa in alios caritas me admonet, ut ad cognatum sibi odium in seipsum gradum faciam. Quod quidem in Maria tantum inerat, ut quam poterat maximè, in corpus suum sæviret. Mos illi à prima

Ejusdè pia in seipsam crudelitas,

ferme ætate, ternis per hebdomadam diebus, in ediam tolerandi (Martis nempe, Veneris & Sabbati, præter profestos Divæ Virginis) idque non rarò pane & aqua contentæ ad modicam prandii refectioem. Insuper à Kalendis Novembribus ad Christi Natalem, & aliàs quoque sæpiùs intra anni curriculum, pane & herbis aquæ puræ incoctis, omni condimento repudiato, corpusculum refocillabat: nec umquam carnem, nisi ægra gustavit; imò nec orba viro vinum: cujus quidem caliculum bene dilutum eo vivo libare consueverat. Medicorum igitur sententiã tenuitas victûs illius instar perennis miraculi, aliis perpetuum jejunium erat. Jam quietis nocturnæ tempus trium dumtaxat horarum spatium: neque sanè quietum, quoniam nec vestes exuebat, superque nuda humo, & si quando molliùs, super assere cubitabat. Quod ut famulæ deprehendere nequissent, compositum pridie sibi lectum summo manè deformabat. Præterea cilicino texto, instar interioris tunicæ oblongo, ternis in singulas hebdomades diebus (nec enim pluribus licebat per confessarium

rium

rium quem è Societate JESU delegerat) totidemque catenula ferrea afflictabat sese. Et erat verberantis ardor, visque in delicata fœmina tam insolens, ut pavimentum cruore nataret, perinde ac si bestię tergus dereptum inibi fuisset. Et tamen tanta in se crudelitas pro mollitie illi erat: quocirca frequenter impenseque flagitavit Deum alias longè graviores pœnas, suis utique ut rebatur criminibus pares: ita leves, quæ vita vel innocens patitur, potiùs quàm admittat, culpas appellabat. Neque tulit repulsam: nam singulis Veneris diebus, ingenti insuetoque capitis dolore excruciabatur, tamquam infixis ad cerebrum usque spinis: non in pœnam noxarum quidem certè; sed ad virtutis coronam insignioremque Sponsi sanguinum imitationem; qui favor dotis optatissimæ ac pretiosissimæ loco, lectioribus Christi sponsis est attributus. Sed assiduum, multiplex, & intolerabile Mariæ tormentum, maritus, alienis amoribus amens, & efferatus in propriam conjugem: in quam velut in bestiam sæviebat. Hinc quotidiana oviculæ laniena: attamen nullus vel apud suos

Et sævities Mariti.

suos

suos quæstus: concoquebat omnia mascula virtus, & solatiis muliebribus illibata manebat. Potuit etiam Christiana herois, non viro tantum domi, sed & foris pellici, quæ illius amorem ad se averterat, benignum & hilarem vultum obviam præbere, imò huic, quàm ceteris benigniorem. adeo felix & opportuna virtuti est calamitas, ubi pares animos invenit.

Familiaritas  
Mariæ  
cum  
Deo.

Ceterum Maria, quò magis humano solatio destituta erat, & viro invisâ, eo arctius Deo castissimis amoris vinculis se illigabat: & ipse dulcissimus animarum Sponsus eò suavius eam complectebatur. Ita fiebat, ut solidam orationis horam poenè momentum duceret, præ lætitiæ sacrarumque deliciarum affluentia, nec sine vi ab ea posset avelli, & miseriæ domesticæ ne memor quidem tunc esset. Porro antemeridiani temporis magnam partem orationi dabat, etiam superstitè viro; pomeridiani autem ternas horas continentes, genibus humi positis, quæ tandem occalluerunt; mortuo autem, noctem insuper insumebat, demptis pauculis illis horis, quas somni necessitas exigebat. Eucharistici convivii dies integros  
ei

ei quem piissimè exceperat, fixa herebat : precibus ac voluntariis pœnis geminatis, rejectisque in aliud tempus negotiis profanis, & ne liberis quidem matris alloquendæ facultate relicta. Si quid admodum urgeret, quàm licebat celerrimè, expediebat; non sic tamen ut mustum cæleste, quo circumfluebat animus, ore non promeret. Ipse etiam sermo de rebus domesticis Deum ac divina spirabat.

Et par tantæ cum Deo necessitudinis fructus extitit; nam præter invictum animi robur ad durissima quæque fortiter subeunda, suæ cum divinâ voluntatis mira conformatio, omni contagione affectûs aut respectûs humani liberam reddebat; neque quidquam tam volebat ipsa, quàm Deus per ipsam. Igitur seu pax, seu bellum, seu commodum, seu incommodum, seu solatium, seu mœstitia, supremo rerum Domino placuisset; Maria juxta habebat: cujus egregiæ virtutis argumentum, luctuosa mors Ludovici, liberorum carissimi, insigne dedit. Tende-  
bat ad extrema lectissimus adolescens anno ætatis quarto & decimo, nec spes ulla salutis à medicis erat. Venit ad ma-  
trem

Ejus-  
que  
fructus.

trem

trem solaturus vir quispiam, remedium-  
 que morbo filii amoliendo obtulit, quod  
 ipse præsentissimum affirmabat, & supra  
 naturæ vires efficax. Sed cum hæc non-  
 nullâ superstitionis suspitione illud labo-  
 rare accepisset, continuò respuit, homi-  
 nemque domo expulit, certa potiùs &  
 hunc & quotquot haberet liberos, morti  
 permittere, quàm apud Opt. Max. Nu-  
 men vel leviter offendere. Obiit Ludo-  
 vicus: neque Maria illius obitum vel la-  
 crimis vel suspirio ullo profecuta est:  
 etiamtum cum suis manibus tumbæ ca-  
 daver imposuit (quasi nimirum non per-  
 iisset ipsi, sed Deo redditus esset) atque  
 adeo ficcis oculis bene illi Christiano ri-  
 tu precata, funus efferri curavit, matrem  
 generosè oblita, ne vultu aut alia ulla  
 sui parte minùs composita ad Numinis  
 arbitratum appareret.

Vita in  
 Coeno-  
 bio.

Vidimus adhuc Ducissæ vitam in pala-  
 tio tamquam in eremo cœnobiisque se-  
 verissimis exactam; restat ut Sanctimo-  
 nialem proponamus. Cum enim deside-  
 rio unicè Deo placendi magis in dies in-  
 censa, inquireret in seipsam, numquid  
 reliqui haberet necdum ipsi penitus ad-  
 dictum:

VINCENTII CARAFÆ. Lib. I. 15  
dictum; unam liberi arbitrii facultatem  
adhuc utcumque suam comperit, & hanc  
illi libentissime consecravit. Ut autem  
indissolubili omnino nexu juris divini es-  
set, solemnibus votis se totam eidem ob-  
strinxit in cœnobio Beatæ Mariæ, quam  
à Sapiencia nominant, in quo Sancti Do-  
minici religiosam disciplinam florere sa-  
tis compertum habebat. Pervincenda  
tamen prius fuit vis parentum & amico-  
rum, alia omnia (ut fit) sentientium ac  
molientium, seu commodi sui causâ, seu  
ex Philosophiæ mundanæ placitis: sed  
quæ mundi affeclis immixta, judiciorum  
legumque ejus secura vixerat, cùm eos  
æternùm salvere juberet, minimè scilicet  
de iis laborare cœpit. Ceterùm rata se  
inter Angelos, seu Angelicas Virgines  
acturam, Mariæ nomini cognomen Ma-  
gdalenæ adjunxit, quò meminisset (quo-  
tiescumque appellaretur) inter insontes  
ac sanctas sorores solam se ream vivere.  
Et verò cùm novum illum sacrumque ha-  
bitum induit, visa sibi est ab immani scele-  
rum voragine, efferente Deo, ad perfe-  
ctionis montem transvolare: certè eo  
suscepto corporis imbecillitatem ingeni-  
tam

tam



tam, usumque laboris expertem nihil morata, juvenum ac robustarum labores tolerantiamque facile ac brevi superavit: adeo verò sermones de sæculo ( ut aiunt ) ab ipso Monasterii ingressu repudiavit, quasi numquam in illo versata, & in hoc nata & educata fuisset. Itaque officiosas salutationes admittebat nullas, nisi subinde & rarius, quas obibat Andriæ Dux, ejus filius, & D. Joannes Davalos Mariæ Uterinus, quorum ut alloquium renueret, salutis ratio non sinebat. Nullus illi jam Deo sacræ respectus illustrissimæ prosapiæ, nullum vitæ aulicæ specimen. Quin etiam vestium paupertate, morum modestia, obsequiorum promptitudine & numero, nulli vel infimæ sanctimonialium cedebat. Ipsa laborum perpetua consuetudo callum ejus manibus obduxerat, & nimius hyemis algor inter ministeria domestica sanguinem ex iisdem obtritis ac fissis exprimebat: quem utrumque identidem arridens inspectabat, quippe velut adamantem illum, & hunc corallum pyropumque Christianæ paupertatis & patientiæ. fuere è sororibus, quæ remedia suggererent  
fissuris

fissuris istis curandis, quibus ipsa non ad mitigandum, sed ad exacuendum: dolorem usa est, lotis perfrictisque cinere aquâ diluto manibus. Non poterat tanto ardori patiendique desiderio diu par esse tenerum ac debile corpus; itaque succumbebat non infrequenter & morbo tentabatur: sed Maria Magdalena debilitatem ac morbum fortiter dissimulans, ne consuetis laboribus eximeretur, plus etiam oneris suscipiebat ferebatque, quam validæ valentesque ferre possent. Impetravit inter alia onera valetudinarii curam: partim ut suæ in Deum pietati, partim ut caritati in ægrotantes liberius indulgeret. Eam verò ita gessit, ut integras sæpè noctes precibus simul intenta, simul promptissima ad opem esset quamcumque & quetiescumque rogassent. Inter has, cujusdam ex humilioribus (quas vocant Conversas) ulcera tiliarum visu horrida, & olfactu intolerabilia per annum medicata est, sodalibus vix illius aspectum accessumve ferentibus. Sed quæ rosas inter spinas legere, etiam inter tabum & pus balsaminam lachrymam, animæ perquam suaveolentem colligere

noverat. Nimirum Christum dilectissimum Sponsum in forore illa deprehendebat, cui ex vero dictum à consimili sponsa: *Quasi balsamum odor tuus.*

Et hic ille est, qui incredibili charitate in Deum pectus Mariæ, tum temporis perurebat. Cujus vis cum in corpus redundaret, Aquiloni interditi, noctu verò auræ liberiori exponere se cogebatur. Ille porrò ardor tribus postremis vitæ mensibus nimum quantùm ingravescens, mortem mercedemque vicinam nuntiavit. Quamquam Maria nec laborum ac molestiarum tædio, nec cælestium deliciarum cupiditate, imò nec Deo fruendi desiderio, quâ bonum nostrum, mortem opperiebatur; sed divinæ dumtaxat gloriæ causâ. Nec rarò audita est in summo æstu, quo tota illius facies ardere videbatur, ita Redemptorem alloqui: *Domine mi, si ex meis in tartaro cruciatus aternis immensisque minima gloriæ tuæ accessio fieri possit, en me paratam: illuc immitte, modò nulla mea culpa: sane eo pacto tartarus misericælum sit. Tandem post vitam in quadruplici statu, innuptæ, nuptæ, viduæ, ac Religiosæ sanctissimè*

VINCENTII CARAFÆ. Lib. I. 19  
ctiffimè transactam; anno virginei par-  
tus millesimo sexcentesimo decimo quin-  
to, ætatis quadragesimo nono, supremo  
conflictata morbo est: quo denique, si-  
mul & vivida inter languores continen-  
tique charitatis divinæ christianæque sub-  
missionis exercitatione perpolita, migra-  
vit ad cælestes nuptias, relicto sui (vivi-  
utique perfectique virtutum exemplaris)  
incredibili desiderio. Mortuæ facies an-  
gelicum nescio quid spirans, intuentium  
oculos mirificè delectavit: satiari aspi-  
ciendo nequibant; caro minimè scabra,  
aut rugis asperata, sed mollis ac tracta-  
bilis, vivæ in modum ac vigentis mansit.  
Reculæ ejus omnes, & ea quibus usa fue-  
rat, tamquam spolia sanctitatis, ad vene-  
rationem seposita. Ita certus ad hono-  
rem gradus, despicientia sui est, & eas res  
amasse quæsisseque Christi gratiâ, quas  
vulgus horret ac fugit, est vulgi amorem  
cultumque iis conciliaffe. Atque in hoc  
propè solo judicia mundi cum divinis  
conspirant. Sanè tam viventem quàm  
vita functam prodigiis Deus illustravit,  
quæ referre minimè huc spectat.

B 2

CAPUT

## C A P U T II.

*Vincentii pueritia & adoles-  
centia.*

Institu-  
tio pue-  
ri.

**H**Ac igitur parente natus est Vin-  
centius, anno partæ salutis M. D.  
LXXXV. ut superius visum, ejusque plus-  
quam maternis curis, ut primùm disci-  
plinæ Christianæ idoneus fuit ad omnem  
virtutem informatus. Noverat enim pru-  
dens mater quanta vis insit primævæ in-  
stitutioni: enimverò quæ pueritia se-  
mel imbiberit, ea retineri fideliter, ac  
transmitti in reliquam deinceps ætatem,  
cum paribus ferè virtutis, vitiive, ac ætatis  
incrementis: Arbusculæ siquidem illam  
haud absimilem, cui quas notas incideris,  
cum ætate crescunt ac firmantur in arbo-  
re, nec umquam oblitterantur. Propterea  
in hoc maximè incumbibat, ut teneris  
adhuc liberorum animis, pro ætatis captu,  
unà cum fidei rudimentis, Numinis me-  
tum pietatémque in Superos sensim im-  
primeret: aliena prorsus à sensu mori-  
búsque quorundam parentum nobilium,  
qui

qui præcocem in filiis audaciam arrogantiamque malunt, quam accommodatam ætutulæ religionem. Divæ igitur Blancæ matris S. Ludovici Galliarum Regis exemplo solita erat iterare suis hoc divinum effatum: Mori satius esse, quam lethale crimen admittere. Etenim mortem quidem omnibus communem differri posse, non vitari; eaque vitam eripi, sed miseram; neque tam eripi bonis, quam in beatam immortalémque commutari: At lethiferâ noxâ spoliari animam vitâ planè divinâ, itaque emori quidem certè, sed ut semper mortua, suppliciis vivat intolerabilibus juxta ac æternis. Hæc ad salutarem Dei timorem. Religionem sic inferebat. Statis per diem nec semel repetitis precibus Vincentium ac reliquam prolem jubebat eidem Numini supplicare: Quot hebdomadis frequentare sacram exomologesim, itémque mensam Eucharisticam. & ad hæc exemplo suo leniter quidem, sed tamen haud mediocriter urgebat. Cùm enim exempli magna vis est in utramque partem; tum præcipuè parentum in filios, sive quod ex iis toti pendeant, sive quod ad eorum imitationem

tationem innati amoris pondere ferantur. Verumtamen Vincentius observantiâ in matrem, pietatêque in Divos, inter omnes eminebat. Etsi enim æquè omnibus solis instar lucem caloremque affunderet materna religio atque industria; tamen idem animis, quod agris, usu venit, ut pro apparatus ac soli varietate uberiores alii aliis fructus efferant.

Mira à  
puero  
pietas.

Quamquam non alienæ aut humanæ industriæ; sed divinæ virtutis ac beneficentiæ partum satiùs dixero Vincentii rarissimam vel à puero pietatem. Sic enim tunc divinitus conformabatur ejus animus, ut per majora in dies virtutum omne genus incrementa, ad summum perfectionis apicem aliquando aspiraret. Principio igitur insitum illi cum puerilium oblectamentorum fastidio, studium struendi arulas, ornandi sacra simulacra, fingendi præsepiola recens nato JESULO fovendo, & tumbulas mortuo excitandi, ac denique pia carmina tenellosque in ipsum amores suos cantandi. Dein ætate ac judicio, Dei divinarumque rerum capacioribus, S. Spiritûs impulsu secessum ab aſſeclis quæritare: pone parietes, pone lecto-

VINCENTII CARAFÆ. Lib. I. 23  
lectorum spondas, inque aliis palatii an-  
gulis latitans orare de geniculis, preces-  
que ad integras horas continuare, pro-  
pè sine motu, statuæ in modum, submis-  
sissimaque corpusculi compositione, ac  
totius oris venusta specie referre Ange-  
lum, usque adeo ut contemplantibus fur-  
tim domesticis, qui suspensis passibus  
eum vestigaverant, admirationem & pias  
lachrymas ciceret. Jam adolescentulus,  
uti ex honorario ephebo compluribus  
annis illi famulato audivimus, post gram-  
maticæ ac humanitatis prælectionem,  
quæ domi habebatur, in matris sacra-  
rium se recipiebat, ibique ternas aut qua-  
ternas horas continentes dabat orationi.  
Quam in rem non ille commentariis de  
arte cælestia meditandi, non aliis præce-  
ptionibus utebatur, easve requirebat,  
quoniam ipse Deus, ut magister, sic &  
illius liber erat: quippe idoneum disci-  
pulum nactus. Et par erat contempla-  
tionis diuturnitati divinarum rerum sen-  
sus, intimus utique ac suavissimus, quasi  
cæli ambrosiam prælibaret. Sanè etiam-  
tum cum ab oratione, profana in publi-  
co, cumque aliis tractaret, vel suspirio è  
obusurq



penetralibus ducto, vel oculis in cælum suaviter coniectis, nihil inde mentem abesse sat prodebat. Neque verò sermonibus ullis aut negotiis poterat à divinis avocari, ut aliquem è gente Angelica dixisses, *qui semper vident faciem Patris qui in cælis est.*

Præfer-  
tim in  
SS. Eu-  
chari-  
stiam.

Ceterùm primæ illi deliciæ, sistere se supplicem coram Augustissima dulcissimæque Euchariistiâ, cujus respectu amoreque ita rapiebatur, ut sui suorumque immemor ageret. Fuit cùm illâ ad venerationem expositâ in Divæ Mariæ à porta sancta (templum est Sodalitii nobilitatis in urbe Andria) Vincentius ad tres horas, summissis humi genibus orationi institit, immotis oculis, immoto reliquo corpore, perinde ac si sacram Ecstasim pateretur: & mansisset multò diutiùs, nisi ad palatium accersitus fuisset: siquidem intelligens non sanctiùs Deum quàm obediendo coli posse, ut primùm vocatus paruit. Porro nullus ei Missa non audita dies abiit, atque adeo nullus sine maximo fructu liquidæ voluptatis. Ita cùm Andriæ degeret, itabat quot diebus in eadem PP. Capucinorum primo diei crepusculo,

pusculo, ibidemque ad prandii usque tempus (quod spatium perlongum erat) cælestium contemplationi, precibusque incumberebat. Quam ædem præ aliis ejusdem urbis frequentabat, non modò quòd jucundum illi erat cernere illos Patres, aris piè operantes; sed etiam quòd ejus à palatio distantia opportunitatem dabat pluribus egenis undique accursantibus stipem largiendi, ad quam quasi inatâ misericordiâ (ut brevi dicetur) propendebat. Cùm per ætatem licuit, legem sibi indixit Dominicis quibusque diebus ac festis celebrioribus sacræ mensæ accumbendi, quam sanctè observavit. Ad hanc autem pridiano jejunio, eoque rigido, precibusque ac sacra commentatione, multò quàm aliàs prolixioribus, parabat sese, eamque fervida gratiarum actione per horæ spatium prosequabatur. Et visum est superis hancce id ætatis in sumendo Pane Angelico pietatem non gratiæ solùm ac virtutum incrementis eximiis, sed etiam prodigioso ostento probare. Nam Pater Julius Mancinellus, vir è Societate JESU non obscuræ sanctitatis, Vincentium SS. Eucharistia imper-

B 5                      tiens

tiens in sacello palatii Ducalis, animadvertit Angelico decorum vultu, & cælesti lumine circumfusum: ut retulit ipse in Ephemerides, nec paucis narravit, præfagiens vel tunc, qui vir & quantus futurus esset, qui etiam adolescens adeo superis placeret. ut enim vita humana quoddam drama est, sic & illius initium prologus esse solet reliquæ.

Et in  
Deipara-  
ram  
Virgini-  
nem.

Amori JESU comes ibat amor MARIÆ: gemellus utique & fratris lateri numquam non junctus. Hic à teneris quoque unguiculis Vincentii intimis sensibus hæsit, & cum adolescente adolevit. namque Vincentius ab ineunte ætate ternis per hebdomadam jejuniis ad Virginis matris honorem assuevit, Mercurii nimirum, Veneris ac Sabbathi diebus; & Sabbathi quidem pane & aqua contentus erat. Deinde ejusdem Divæ rosarium ut vocant, officiumque recitabat quotidie, piè juxta ac constanter; singulisque diebus illi sacris, divinis epulis reficiebat animum, longiusque solito temporis intervallum impendebat orationi, quò dulcius liberiùsque suo in Mariam amori indulgeret. Neapolim cum venisset habitaturus

taturus apud avunculum, & humanioribus litteris operam daturus apud Patres Societatis JESU, illicò se inscribi curavit albo Sodalitii Virginis Annuntiatae, cujus ex instituto certum ac singularem illius cultum amorémque professus est. Denique domo numquam exibat, quin continuò ædem aliquam illi dicatam subiret: ubi non obiter salutabat Deiparam, sed tamquam in ipso ingressu illigatus, precibus inhærebat, neque poterat nisi vi quadam se inde avellere. Quoniam autem ut libertatis, sic & secreti amans est Amor, cùm Andriæ degeret, haud paulò libentiùs frequentiusve ædiculam ejusdem Virginis juxta murum urbis sitam, quàm alias ampliores, inibat. Hæc illa est ædicula, in qua insolito Numinis afflatu, cælestique flammâ succendi se aliquando persensit: adeo ut post auditus sit dicere, se summæ felicitatis loco habiturum, si Deiparæ per totam vitam famulari posset, etiam verrendâ concinnandâque ædiculâ istâ, imò etiam mendicando ab introëuntibus oleo ad perpetuum coram Virginis imagine lumen, etiam hac lege ut numquam ex ea discedere

dere

dere liceret. Quod votum damnans nescio quis (ut planè discrepant aulicorum mundi & cæli studia omnisque Philosophia) *Atqui, ait, tam abiectæ cogitationes nobilissimo adolescente non satis dignæ sunt: ad summa quæque natus es, mi Vincenti; igitur vide etiam atque etiam, ne tã humilis ministerii cupido subeat animũ.* At ille, *Ego verò, inquit, nil sublimius splendidiusque ambire me posse reor, quàm ut Regina, supra quàm fingi, nedum dici potest, augustissimæ serviam. vel infimo illius famulatu inferiorem me sentio.* Ita ipse, ac verè. Siquidem (quod & mundi aselectæ concedant) ministrorum & ministerii dignitas ex dominæ celsitudine metienda est. Quam itaque matrem appellitare jubebat amor, majestatis existimatio observantiaque, Dominam ut vocaret, identidem obtinebat. Quæ utraque mirificè crevit ex insigni in illum favore, curaque seu matris in filium, seu dominæ in fidum famulum Mariæ. Andriæ Dux, Vincentii frater, universæ ditionis suæ militares copias Rubros (oppidum est Regni Neapolitani) transvexerat, tum ut recenseret, tum ut in arte militari periclitaretur.

Aucta  
prodi-  
gioso  
hujus  
favore.

clitaretur. tota nobilitas Rubrensis Nudriensisque ad visendum confluxerat: & aderat spectaculi pars non minima Vincentius cohortis unius ductor, licet adhuc circiter quinquennis. Quamquam enim jam tum ingenio erat à splendidis hujusmodi pompis alieno, tamen studium obsequendi fratri eò illum perduxerat. Cùm ergo alterius ductu milites suos ordinasset, ipse ductor in adversos primus incurrens, catapultulam explodere nisus est sed frustra: igne utique minimè concepto. mox ad lævam ut fit, se recepit. Tum pulvere novo sclopum instruere parans, dum per imprudentiam igniarium funiculum à pyrio pulvere non avertit, sive proficientibus è funiculo scintillis, seu alio vitio, infundibulum pulveris primùm accensum, moxque in illius manu disruptum est. appensa deinde lateri capsella eodem sclopetario pulvere gravis igne correpta, pariterque statim disrupta Vincentium totum flammis involvit, vestibisque tremantis brevi ambustis, ignis jam instabat indusio, cùm ille Virginis vehementer opem inclamat, & ecce flamma derepentè extincta est, Mariam

riam

riam fassa principis elementi dominam. Et verò gratiam hanc, quam complures pro liquido miraculo habuere, grata perenniſque memoria proſecutus eſt, cùmque narraret, Virginem liberatricem palam ac diſertè agnoſcebat.

Utriuſ-  
que fru-  
ctus.  
Caſti-  
monia  
& ani-  
mi  
quies.

Porro geminus hic Vincentii amor multiplicem partum fortitus eſt. Nam hic quidem Marianus caſtimoniam incomparabilem; eò magis admirandam, quòd habitus corporis ſanguineus, animi autem hilaris & excitatus erat, ætas quoque virens, ſingula ad vitium libidinis præcipitia. Quamobrem non immeritò aulici Angelum carne indutum nuncupare ſunt ſoliti. De qua virtute ſigillatim ac propriè cùm poſtmodum acturus ſim, dicere nunc ſuperſedeo. Porro amoris divini, familiaritatisve cum Numine prior ac præcipuus partus, fuit inſueta mentis tranquillitas, è vultu ipſo emicans, quam nec proſperæ, nec improſperæ, neque præviſæ, neque inopinatæ res labefactabant. Cui etiam juvenilis ætas admirabilitatem conciliabat: quippe in qua affectiones animi inſolentiores, ob ſanguinis aliorumque humorum vigorem, nativum  
potius

potius impetum, quàm rationis ductum  
sectentur. Verùm insidens animo atque  
excubans Deus, sensumque sui semper  
præsens continuum imprimens, etsi pra-  
vas affectiones primis motibus insurgere  
sinebat, non tamen impotenter in ani-  
mum grassari. Quare agitabatur qui-  
dem Vincentius identidem, & leviter iis  
succumbebat, quod humanum est; sed se  
sibi ac pristinæ æquabilitati mentis illicò  
ac facile reddebat. Hinc in eo elucebat  
sermonis ac morum perenne decorum.  
Numquam enim vel in famulos iracun-  
diâ efferbuit: numquam oculis ac vultu  
prætulit indignationem. Cùm verò ipsius  
fratres inter gladiatoriam umbratilem,  
aut æquitationem palæstinam, aliasque  
id genus nobilium exercitationes, turbu-  
lentioris animi signum aliquod darent,  
seu gestu seu clamore, ipse blandùm sub-  
ridens amicè monebat majorem illos à  
bestiis obsequelam exigere, quàm rationi  
præstarent, promptiusque rudium ictus  
declinare, quàm vitiorum. Ad eandem  
animi tranquillitatem referre licet egre-  
giam illius observantiæ in matrem prom-  
ptitudinem. Facile enim voluntati alterius  
suam

suam



suam accomodat qui tractabilem habet & minimè repugnantem. Ut igitur numquam matris dicto audiens non fuit, ut semper obsecutus desiderii; ita nec unquam ab illa duriore verbo, aut vultu severiore acceptus. Et adungebat obedientiæ cognatâ submissionem. Etsi enim carissima illi mater, & matri ipse carissimus, tamen in ea colenda servorum obsequentiam vincebat. Numquam adduci potuit ad sedendum ea præsentem, aut etiam omnino ad standum. siquidem ad venerationem alterum genu submittebat. Ubi verò primùm strato mane relicto, Deum Divosque propter omnes cubiculi sui imagines precatus erat, matrem adibat, bonam ejus apprecationem petiturus, eaque felicem se ratus, tum demum in publicum prodibat.

Singularis  
item  
caritas  
in egen-  
tes.

Alter amoris Vincentii in Deum ac familiaritatis divinæ fœtus, charitas fuit in miseros ac egentes: Hæc adhuc laicum & adolescentem maximè inter reliquas virtutes illustrem reddidit: quippe suomet splendore se prodit, & omnibus probat amabili indole. Quæ igitur benignitas nascenti velut insita fuerat,

&

& cum puero creverat, adolescentem facillimè in omnem partem flexit. Non ille de miseris audire sine commiseratione, non afflictos cernere sine lachrymis, non manus abstinere posse à largiendo egentibus, seu argento seu auro, quodcumque & undecumque etiam humili prece obtinere poterat: totum autem largiri eo lætitiæ sensu ac si Christo in manus traderet. Frequentissimè ex palatii aula, matrisque consortio currebat ad fenestras, prospecturus num qui pauperes adessent. Quibus repertis properè hilarèque recurrebat ad matrem, *Et en*, in-  
quiebat; *Domina*, *egeni ad fores*. Continuoque singulorum necessitates egregius eorum patronus non sine pia amplificatione recensēbat. Hos etenim fame, illos frigore propè enectos: ex iis partim mancos, partim cæcos, partim seniculos, partim puellos matrum uberibus pendentes: impetrataque stipe lætior ad eos recurrebat; ipsemet suis manibus eam impertiebat, abeuntesque non sine mixtis gaudio, gratiarumque actione lachrymis & optimo adolescenti optimè volentes præcantesque, lætissimis oculis prosequēbatur.

C

quebatur.

quebatur. Enimverò beatus ille est, qui fratrum Christi, id est, pauperum votis, & quibusdam suffragiis jam nunc beatur. Si quando de more quæritanti, nullus è pauperibus præ palatii foribus comperiretur, tamdiu ad fenestram excubabat, dum quis eminè adverti posset, advocatumque stipe donabat, sociosque cogere, unaque omnes ad eandem adducere jubebat. neque tot unquam convenere quin plures optaret, tam dandi utique cupidus quàm avarissimus quisque accipiendi, tamque lætus ejusmodi conquisione, inventioneq̃ue pauperum, quàm adolescentes id ætatis & nobilitatis venatione prædaque. Nisi fortè hac ipsa re venatorem dicere malis, ejusque feras, miseros: quales, Ambrosio authore, Abrahami fuerunt; non minus certè pauperum patris, quàm multarum gentium. Cæterum si quando accideret, ut præter illius spem ac studium nemo unus ex egenis se offerret, destinatos illis nummos per cubiculum sparsim projiciebat, ut tamquam derelictos ingressi postmodum famuli colligerent, perinde ac si eos diemque perdidisse se crederet, nisi esset largitus.

gitus.

gitus. Quin etiam sectorem mensarium  
iisdem egentibus se præstabat. Quippe  
dapum lautiorum partem aliquam sepo-  
nebat in disco, quam iis ut distribueret,  
à parente impetrabat. Nec deerat pie-  
tati idoneum argumentum; quoniam, ut  
aiebat, nisi simili bona sorte id eis ob-  
tingeret, numquam toto vitæ cursu eos  
gustare daretur. Verumtamen illa, for-  
tasse, ut tam piis filii studiis cumulatius  
frueretur, ejus preces identidem repel-  
lens, verabat sectos cibos è mensa ad pau-  
peres amitti. At hic, quod precibus ne-  
gabatur, lachrymis evincebat. Certa  
enim victoria est ubi telum intorseris, quo-  
quis amat vinci. Est etiam hoc illustre  
ejus benignitatis indicium. Cùm enim  
in procinctu esset ad Societatis JESU  
ingressum, multam supellectilem rerum  
sibi necessariorum recens comparatam,  
ut vestes, indusia, lintea, aliaque ejusmo-  
di, in egenos erogavit. Per id tempus  
contigit ut mendicum quempiam subter  
fenestram palatii multa flebiliter queren-  
tem inaudiret, ex verane an ex ficta ino-  
pia incertum. Ceterùm ipse suspicionum  
nescius, & alienæ miseriæ impatiens, pre-  
tiosum

tiosum lecti sui conopeum illicò detractum iit, perque fenestram illi immisit, amiceque dimisit tam dulci onere gestientem. Quamquam Vincentium major voluptas dato beneficio, quam mendicum præter spem accepto, incessit. Noverat enim se illius & universitatis hujus Domino, quod illi tradiderat, fœnori ingenti dedisse.

*& egros*

Rarior etiam in eo ætatis ac nobilitatis flore extitit Vincentii commiseratio adversus ægrotos. Turrim del græco dictam (locus est haud multis passuum millibus Neapoli distans) matri comes cum adisset, solitus erat primo quoquo tempore valetudinarium petere, ægris adesse, inservire, solari, unaque cum nummis aliquot, mitigatos saccaro fructus, aliave salgama singulis impertiri, sive recreandis, sive confirmandis. Quod caritatis officium Neapoli quoque præstitit. Post bellum Hungaricum ac deinde Capuanum, rheda illum avunculus magnus donarat, ut pro generis claritate honorificè per urbem invehctus, cum libèret, obambulare. At ipse eo consilio sapienter juxta pieque abutens, vehi se per compita  
urbis

urbis jubebat ad duo illius præcipua nosocomia, quorum alteri ab Annuntiatione, alteri ab incurabilibus nomen, ibique ministerii omne genus quantum in se erat, miseris adhibebat; ac tanta quidem voluptate, quantam se aliis ex rebus capere non posse rebatur. credo quod illius animum animæ instar suis impulsibus regeret misericordia, quæ in valetudinario tamquam in centro conquiescit. Denique ut in Vincentii matre ceterisque insignibus Dei servis, caritatem in fratres præsertim miseros & ægros, sic & in ipso comitabatur acre sui odium & contemptus, illud masculæ virtutis, hic etiam maturæ in adolescentia indicium. Nam carnem suam jejuniis ac flagellationibus inclementer afflictabat; & sui adeo despiciebat, ut quas tulerant fratres, ipse vestes haud illibenter denuò gestaret: quod in adolescente id claritudinis atque opulentia videri potest prodigio proximum.

Cum  
sui odio  
cōtem-  
ptuque.

Quæ universa, nimirum præclaram Vincentio existimationem apud suos peperere, cum eam singula mererentur. Adeo ut qui puero Angeli nomen, adolescenti

Ex quibus præclara de illo existimatio

lescenti sancti decus ac merita ascribe-  
rent. Ipsa mater, ut absolutæ virtutis ma-  
trona, tamen illum magnopere suspicie-  
bat; non sine augurio admirandæ illius  
cum ætatis ac gratiæ progressu sanctita-  
tis. Fabricius autem Carafa, Præsul Bi-  
tontinus, unâ cum Vincentio à pueritia  
educatus, aliique illi olim familiares, me-  
morant se solâ virtutis ipsius opinione  
admonitos, nihil unquam coram illo au-  
sos, non modò quod spurcitiam oleret,  
sed nec indignatiunculam, aut insitam  
pueris levitatem: ut porrò hic Vincen-  
tius ab alio Vincentio Carafa, Marchio-  
nis Bitontini filio distingueretur, Vincen-  
tium bonum appellari solitum. Et profe-  
ctò ipse ejus aspectus & innocentia argu-  
mento, & ad virtutem stimulo erat. Po-  
stremò homines religiosi spectatæ virtu-  
tis, Vincentio familiariter usi, ejusque  
animi sensa colloquiis spiritualibus rima-  
ti, insuetam Numinis manum in illius ap-  
paratu ornatuque agnoscebant, & velut  
lineamenta non vulgaris olim sanctimo-  
niæ. Quos inter R. P. Modestus nume-  
ratur virtutis famâ conspicuus, qui mutua  
cum Vincentio necessitudine conjunctis-  
simus

simus fuit; quippe quem hic tertio quot hebdomadis adiret, & post colloquium de rebus divinis, simul cum illo acriter ac diu se verberaret: Ita non natura solum, sed gratia etiam pares cum paribus congregat, & insuper præludia magnorum operum spectanda præbet, ut ex illis horum perfectionem, quam per se non satis nosse licet, æstimemus.

## C A P U T III.

*Vincentii consilium ingrediendæ  
Societatis, & ingressus.*

**T**ANTÆ virtutis fama brevi totam Eccle-  
Carafæam gentem Vincentii admira-  
tionem & faustis auguriis implevit. atque  
ut studiis affectibusque consilia congrue  
re solent, plerique consanguineorum su-  
premis Ecclesiæ dignitatibus, eam voto  
ac spe destinabant. Verùm alia erant  
æternæ sapientiæ decreta; tam vili ac lu-  
teo ædificio tam nobile fundamentum  
non jacentis. Cæterùm cum in obsequiis  
divinis, salutisque negotiis totum esse  
viderent sui, volentem Ecclesiastica veste  
indue-

Eccle-  
siastica  
illius  
vestis



induerunt. Sed & Vincentio aliud ac parentibus propositum eo facto erat. Siquidem illi vestem prensationi sacrorum honorum, Carafæ familiæ quasi domesticorum, aptaverant: at Vincentius sancto ac negotioso otio destinabat; quippe ejus respectu à multis officiis ac salutationibus nobilium ritu frequentandis eximendus. Nec enim sublimem erectumque ejus animum tam humilis cogitatio subiit umquam; ut hoc habitu viam sibi ad honores Ecclesiasticos sterneret. Honor illi onus, aurum & purpura ambitionis ac servitutis humanæ indigna pretia semper visa sunt; virtutem autem gloriæ, pedissequæ suæ, & velut umbræ, ancillari, numquam pati potuit. Quin etiam jam tum quasi per rimas radios divinæ lucis religiosam vitam commonstrantis excipiebat, quæ lux per horariam Hieronymi Plati de bono status religiosi quot diebus lectionem, meditationi non absimilem, sensim se omnino explicavit. Nempe aperuit religioso instituto inesse quidpiam humano majus, propterea quod humana omnia despiciat, uni ut adhaereat omnium Conditori. Et fraudare quidem

Reli-  
giosæ  
vitæ in-  
eundæ

causæ,

quidem se sensuum oblectamentis; at frui longè liquidiore divinioreque animi voluptate: destitui opibus; at gratiæ thesauros accumulare: Abdicare libertatem; at divinæ voluntatis impulsibus agi: Denique jam beatum hominem reddere auctore Bernardo: ut in ambiguo sit, Angelusne terrestris, an homo cælestis appellandus sit. Quibus argumentis insinuante se Deo animum planè permisit. propositum.

Atque ut bonum naturâ solitudinem fugit, gaudetque pluribus esse commune, ipse alios in suæ felicitatis partem vocavit. Itaque factus ex discipulo magister, Fratri ad illâ invitatione. Scipionem Carafam fratrem suum natu minorem, quem divinorum docilem imprimis sciebat, primum aggreditur: quæque animo altè imbibit cælestis disciplinæ placita, summatim quidem, at efficaciter illi proponit: atque ut plenius hauriat, ad librum ipsum Plati remittit. Audivit avidè Scipio, avidius legit. deque certiore facilioreque salutis via seriò cogitavit, quam denique felicibus auspiciis ingressus, ducem hodieque sequitur Divum Benedictum, tam remotus à sæculi strepitu, quàm qui maximè. Tanti est vel

bono magistro bonum discipulum, vel bono discipulo bonum magistrum obtigisse. Neque hîc constitit Vincentii ardor. Ducis Andriæ fratris sui natu majoris famulum (cui Ludovici nomen) juvenem qui Deo serviret dignum, alia omnia cogitantem, velut invasit, restitantemque rationibus æternis vicit: qui & deinde divinis obsequiis in ordine Capucinorum se mancipavit.

De familia religiosa deliberat

Cæterum cum jam Vincentio de Religiosa familia ineunda deliberatum esset, etsi in bonis initiis dimidium operæ constare feratur; tamen non vulgariter anxium habuit unius inter tot electio. Id quidem ratum, eas missas facere quæ primævo fundatorum spiritu destitutæ erant; sive quòd ille, velut cuique corpori sua anima, sic religioni divinitus inditus sit ad motum quasi naturalem, facilemque perfectioni assequendæ; sive quòd eo deficiente totum religionis corpus labascet, ideoque nequeant singula membra diu stare: verum cum inter instituta primi spiritûs retinentia, alia mitius vitæ genus sectentur, alia severius, aliaque saluti alumnorum unice studeant, alia

alia simul alienæ; hæc præsertim contentio illius animum agitabat. Nam ad vitæ severitatem egestatemque amplectendam, quadam ingenii sponte, & usu ipso ferebatur. accedebat frequens cum RR. PP. Capucinis congressus, virtutisque illorum experimentum: non modica illecebra ad vitæ consortium. Aliò tamen distrahebat studium salutis alienæ, atque adeo Christi exemplum, cujus perfecta imitatione perfectionem virtutis contineri non ignorabat. Quare cum Societas JESU hoc in genere florere visa illi esset, identidem à Capucinis ad eam animum traducebat. In eo mentis quasi diffidio, causæ decisionem experientiæ committere placuit. Itaque quam potuit maximè, ad normam severitatemque vitæ Capucinorum aliquamdiu suam exegit. Sed & ipso experimenti initio & progressu, corpus nescio quo gelu rigere, mens hebetari quasi lapidesceret, ac divinis de more commentandis tarditatem in dies majorem persentiscere. Quamobrem desistere coactus utcumque intellexit parum Deo probari ut ejusmodi vitæ genus capefferet. Neque tamen id  
temporis

temporis Societatis cupido tangebatur animum; quin & ejus fastidium & quidam horror ingruere coeptus est: & eorum, quæ antehac in ea probaverat, despiciatus. Atque hinc animi lamentabiles angustia; donec arcana mentis omnia parenti pandit, quam noverat non minus divinorum scientem, quàm salutis liberorum cupidam esse. Hæc verò auditis omnibus, atque perpensis, Vincentium hortatur, in proposito prehensandæ religionis sibi constet, singulatimque ad Societatem Jesu animum appellat; simulque voto se obstringat peregrinandi in D. Virginis Andrientis. Futurum enim, ut ejus ope ac luce divina tandem ex angustis ac tenebris istis emergat. Vaticinio fidem astruxit mirus eventus. Vix enim ædiculam ingresso precantique oborta divina lux discussâ nocte animum planè composuit, proque tædio & horrore, insolitum Societatis amorem desideriumque brevi potiundæ indidit. Tantillum distant cum fiducia orare Deiparam & exorare; tantillum quoque orari ab ipsa filium, & hunc ei parere.

Explorata porrò Numinis voluntate,  
non

Societatem  
Jesu  
eligit.

non cessavit Vincentius, dum suam Societatis JESU ineundæ ejusdem Patribus patefecit. Quam illi, difficilè dictu est, quanto cum gaudio exceperint; satis gnari non tam hominem, quàm mente ac moribus Angelum cupere sibi aggregari. Inter hos R. P. Carolus Sangrius (qui deinde Societatis Assistens Italiæ, ac post Vicarius Generalis extitit) providens tampiam illustrissimi juvenis voluntatem ingentibus machinis oppugnatum iri: Lupios ad quemdam è nostris Sacerdotem scripsit, ut & sanctum Vincentii propositum precibus P. Bernardini Realini, viri è Societate JESU spectatissimæ sanctitatis, vehementer commendaret, & ex eo exhortatorias ad Vincentium litteras exprimeret. Non defuit ille quidem officio: at principio præcisè tenuit, quod rogabatur, Realinus. Enimverò satiùs fore ut, si profusa juventæ inconstantia à suscepto religiosæ vitæ genere posthac descisseret, culpam in se unum conferret; non in alium, qui currentem licèt, & sanctè laudabiliterque impulerit. Inertibus enim ac levibus animis nullum opportunius defectionis velum, quàm nancisci ansam

P. Realino cōmendatur, qui constātiā sanctitātēque illius vaticinatur.

causan-

causandi, rectè ac prudenter religionem deserere, quæ alterius potius inductione, quàm sponte inita sit. Idque perperam excusasse nescio quem ex eadem gente Carafæa, alterius itidem prece, à se animatum ad Numinis instinctum fortiter sequendum. Hæc in præsentia Realinus prudenter sanè, si quæ humanitùs eveniunt pensentur. Sed Deus, cui totum hoc negotium cordi, Vincentii patrocini-um sibi propriè sumpserat. Quare vix horâ elapsâ, Realinus ad eum, qui repul- sam hætenus tulerat, hilaris cum exhortatoriis revertit. Se enim ab illius congressu Deum super isto negotio consuluisse, & vocem intimam exaudisse præcipientis, ut Vincentium in ea mente confirmaret: non dubius ipsius ad mortem usque in Societate perseverantiæ, excellentisque olim sanctimonix; aliæque ad juvenem spectantia, ipsique interiora, quæ divinitùs acceperat, eidem Patri aperuit.

Oppu-  
gnatur  
à fratre  
Duce

Realini precibus atque exhortatione velut armatum, Deus nec levi nec uni certamini committit. Imprimis fratris sui Ducis Andriæ, non amore minus quam

quàm sanguine conjuncti, precibus oppugnatus fuit. Quo teli genere uti nullum est lenius, ita nec fortius adversus ingenuos; si quidem ab eis tractetur, quos & ames & vereare. Animum illi suum subobscurè indicaverat Vincentius, dum forte unà cum ipso solennes Virginis laudes ( officium vocant ) recitaret. Cùm enim ad illa Cantici Zachariæ ventum esset: *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi; fratris manum amicè presserat: nec plura, seu voce seu gestu.* Neque solerti principi opus fuerat interprete, prementis mentem id temporis ac loci ut satis cognitam haberet; sed inducere animum nunquam potuit, ut super ea disertè interrogaret; ne audiret quod nollet. Non multo post tempore Vincentio visum est rem totam planè illi significare: quo nuntio tam graviter affectus fuit, ut protinus linquente animo humi conciderit, jacueritque velut exanimis. Demum resumptis utcumque viribus Vincentium oculis blandè mærentibus intuens: *Siccine ô frater, inquit, amantissimum fratrem deseris?* Tum illi ab ea mente revocando, per  
mutuum



mutuum amorem, per studium honoris Caracæ domus, per sacra omnia preces cumulat: additque argumenta quæ tali re ac tempore eloquens affectus suggerit. Sed incassum omnia, nisi fortè ut ansam det sui vincendi. Etenim Vincentius, quid fratri, quid familiæ, quid sibi, quid Deo deberet apprimè callens, adeoque salutis suæ divinæque voluntati cetera posthabens, non modò precibus Ducis ac fratris emollitus aut rationibus fractus non est, ut victo propior, quàm victori frater è prælio isto discesserit. Posterius priori non cessit, diuturnitate longè etiam gravius certamen. Aggressus est illud Vincentii patruus, Prior Capuanus, caritate in ipsum haud impar patri. Ac primùm illius animum promissis expugnare contendit. Quippe nihil proclivius futurum, quàm ut ad sacros primatus auctoritate sua operaque evehatur, si quidem Ecclesiasticæ vitæ genus in curia Romana sectari velit. Nec deesse vel nunc nervum quemdam honestissimi ambitûs, annuam pensionem duùm millium aureorum, ex Abbatia S. Joannis in Lamis, sive D. Marcucii, quam pro potestate sibi à Pontifice

Et à Pa-  
truo Ca-  
puæ  
Priore.

Pontifice facta, cui libet, liceat transcribere: statimque illi transcripturus sit, atque consiliis suis obtemperarit. Sed juvenem cælo inhiantem, spernentemque terras, confirmare isthæc poterant, non à proposito deflectere. Imò, inquebat, *si quantus quantus est hic orbis, meus omnino esset, tam propensè illo cederem religiosæ vitæ gratiâ, quàm alius quilibet centum duplionibus pro totius Orbis possessione. Quanto promptiùs tantilla illa spe cessero, quæ mihi in mercedem longæ gravisque in curia Romana servitutis proponitur? Cui Patruus, Si constitutum tibi est, ait, religiosæ familiæ vitam mancipare, Societatem saltem excipe, in qua statim & tamquam ictu uno præciditur omnis spes Ecclesiasticæ dignitatis. Age per me licet; institutum hoc, aut si mavis, illud arripe (certa quædam designabat) unde facilè assumi ad honores queas, teque & familiâ nostrâ dignos. Abiecti animi est semper humi & in tenebris iacere. Quin potius, reponit Vincentius, demissi & humi iacentis est fluxos ac inanes mundi honores, luteâque terræ bona postponere cælesti perennique gloria. Denique cùm*

D                      Prior

Prior idem sæpiùs recantaret, compendio contentionem diremit Vincentius. Etenim de rebus, quæ divini iuris sunt, non esse mortalium decernere. Atque adeo cum ad Societatem JESU certo Numinis instinctu impellatur, ratum sibi fixumque esse, in ea vivere ac mori. Sanè de dignitatibus, quibus aditus apud alios religiosos pateret, ut minimum, nihil se laborare; quia in religiosis familiis non quæreret, quod in sæculo repudiasset. Atque his & ejusmodi responsis constantissimè semper occurrit promissis, quæ Patruus assiduè oggererat.

Et tandem utroque devicto Societatem ingreditur.

Aliquamdiu tenuit pugna; illo impetere pertinace, hoc vinci nescio. donec Vincentius ratus observantiæ in patrum suæ ceteroque officio factum satis, nodum discindere statuit, quem solvere non poterat. Quocirca clam domesticis omnibus domo aliquando egressus, apud Patres Capucinos se abdidit, in eo conventu, qui suburbiis Sancti Antonii adjacet; ut Patruus nullum ejus vestigium, nisi post dies aliquot, quantalibet diligentiam deprehendere potuerit. Qui tum quidem constituerat duriùs nepotem accipere: sed

sed qui voluntates pro arbitrio temperat, in ejus partes non ægrè illum perduxit. Cùm enim ad Vincentium apud PP. Capucinos adiisset, conspicatus jam exsiccum ac pallidum, inediaque, vigiliis, aliisque voluntariis pœnis, quibus exorandæ cœlitùs missioni per id tempus se dediderat, pœnè confectum, pro eo ut nepotem inde vi extrahere destinarat, in querimonias amoris testes suspiriaque totum se sine modo effudit. Ratusque sedem ibi jam figere velle, vires objecit tanto impares oneri, vitæque severitati. Enimverò cùm sub illius initia adeo emarcuisset ut agnosci vix posset; non diu perstiturum, quin mors aut parum honorifica defectio sequeretur. Videret quid ageret: non enim voluntaria sui cæde delectari Deum; & virtutem quidem hostem corporis esse, sed non capitalem: non sic currendum, ut statim viribus ac spiritu exhaustus corruas: denique moderata durare, ac tutò promoveri. Hæc & alia, quæ turbatiore animo caritas expromebat, longiùs persecutus, tandem ex auctore patronus factus, hortatus est, ut quando animo ita federet, faustis auspiciis So-

cietati JESU nomen daret; se profectò deinceps nihil obstiturum. Atque hoc promisso fretus (ceu sol discussis nubilis gratior emicat) sic Vincentius solito lætior cum patruo domum rediit. Ibi tres omnino menses commoratus est: Dum Societatis Præsides liberum ei jam esse ingressum renunciavere. Quo nuntio gestiens, inscio Patruo, ne plagâ refricatâ malum recrudesceret, diem tirocinio ineundo constituit quarto nonas Octobres, Anno Virginei partus millesimo sexcentesimo quarto, ætatis decimo nono, atque adeo illius florem jucundissimo Religionis paradiso insevit, in fructus olim ingentes.

Prodi-  
gium  
circa id  
tempus.

Opportunum porrò hîc visum est, rem sanè admirabilem, deque nullo, quod sciam, Divo commemoratam, Vincentii nostri gloriæ attexere. Agebatis Neapoli Præfectum Domûs Professorum, quando à Cardinale Archiepiscopo Boncompagni accersitus est, ut nobiliori cuidam puellæ cacodæmonis hospitio liberandæ sacra carmina adhiberet. Hoc munere perfunctum senex quidam venerabundus accessit, rogavitque, num esset is ipse

P. Vin-

P. Vincentius Carafa? Affirmanti, obortis ex intimo sensu lachrymis, *Scias velim*, inquit, *mi venerande Pater, me domi vestra per diu famulatum esse, sicquæ appellari* (nomen indicabat) *porrò cum Societati te aggregasti, Ducissa mater tua tenue colobion, quo usus eras, mihi donavit; atque ego illud primo nata è tribus filiis meis, ingenio ac robore pollentibus. Is colobion, ubi primùm induit, mirum dictu, religiosæ vitæ desiderio, quod numquam adhuc senserat, exarsit; atque, ut primùm licuit Cœnobium inivit. Relictum itaque colobion & ipse minor natu induit, & profectò cum eo eandem cum fratre mentem, continuèque religiosum institutum prebensavit, & amplexus est. Demum cum minimo obvenisset, & ipse eodem studio, cuius pariter nullum antea sensum habuerat, incendi se miratus est, nec cessavit dum expleret. Quo eventu ego magnopere condolens, colobion irreptum pauperi in stipem projeci. Pergebat bonus senex verbis ac lachrymis rem æstimare: sed Vicentium pudor, ut sermonem ei abrumperet, coëgit. Quippe reposuit illum opinione sua graviter falli, ipsi perperam tribuendo,*

quod Spiritui Sancto debitum sit. Siquidem ejus rei ignarum, neque velle neque posse ex ea quidquam sibi arrogare. Quibus dictis hominem citato gradu reliquit. sed nimirum pudor ipsum secutus est, proditæ virtutis non inidoneus testis, & negatæ latentisve amicus proditor. Certè trinam illam tam prodigiosam mutationem Vincentii meritis ascribunt hodieque, qui sensere fratres, sancteque affirmant omnes tres, prius quàm colobion induissent, ne in mentem quidem sibi venisse religiosæ vitæ, eoque induto continuo ejus desiderio tactos atque dein ad eam perpulsos fuisse, quasi thoraculo illi Vincentiani pectoris ardor adhæsisset.

## C A P U T IV.

*Vincentii vita in Societate, Tirocinii, studiorum, ac Magisterii tempore.*

Seipsū  
vincit  
ac de-  
primit

CUM Vincentius in media aula religiosæ vitæ modum tenuisset, Probationis domus non virtutis tirocinium, sed

sed eximiæ sanctitatis palæstra illi fuit. Itaque fræno potiùs quàm stimulis ab ipso initio opus habuit. Necdum sæculi vestes exuerat, dum iussus statis horis certam horti partem inutilibus ac noxiis herbis radicibusque fruticum purgare, impigrè constanterque paruit. Post laboris triduum, animadversum est manus illi præter modum intumuisse. Causam rogatus celare conatus est, sed tandem expressum est ex urticarum ruborumque tractatione tumorem esse profectum, quæ ille ut tactus delicias avidè corripuerat. Dein religioso amictu donatus, atque in aliorum tironum consortium admissus, tantam sui demissionem contemptumque præ se tulit, quasi mortalium novissimus foret. Quam opinionem altè animo impressam, ut aliis ingereret; frequenter communis mensæ tempore cibum ex aliis mendicabat, quem ad Novitiorum pedes humi sedens esitabat: utque mendicabulum insignius ageret, quæcumque mendicanti porrigebantur, eadem scutellâ excepta, atque confusa hauriebat. Respuisset certè quidem ea stomachus minimè ad huiusmodi naturâ horridas confusiones fa-



ctus, aut etiam reddidisset: præsertim cum solus aspectus nauseam aliis provocaret: sed & illum virtus subigebat. quæ etiam suum Carafæ nomen, quia splendidum & perillustre, minus gratum illi reddidit. Quare à Præsidibus contendit ut cum obscuriore vel incognito mutare illud liceret. Quod cum minimè concederetur, illius fastidium ingeniosis quibusdam humiliorum natalium figmentis fallere conabatur. Cujus generis est, quod cum in communi triclinio de Societatis more tironum mores censerentur, ubi quisque materiam scripto promit ad se deprimendum idoneam, evulgavit ipse matrem sibi esse lotricem, patrem verò vitam opificio sustentare. Ceteris porrò minimè id capientibus, cum quæsisset quispiam, quæ citra mendacium proferretur, respondit rem sic habere, quòd lotrix ei nutrix fuerit, cujus maritus operarius: illam enim matris loco haberi posse, adeoque & hunc patris, quando sui despiciendi locus ac tempus esset. Frequens etiam urbem Neapolim obibat, stipem ostiatim emendicans, aptis mendicabulo vestibibus. Aliàs asinum per ejus compita agitans, fordi-

fordibus hinc & inde collectis illum onerabat, idque iis præsertim ac studiosè locis, ubi nobilium virorum corona frequentior. & gloriari tum potissimè ac gestire videbatur.

Scio hæc & ejusmodi subinde à tironibus aliis agitari sui potiùs vincendi gratiâ, quàm ex sincera animi demissione victoriaque. Sed in novitio nostro non novitiam, sed adultam etiam tum virtutem extitisse luculentè demonstro. Solet Societas probandis tironum animis eos peregrinatum mittere ternos ac pedestres, propè aut procul pro ætatis ac virium discrimine, ea lege ut victu hospitioque emendicatis utantur. Id quod S.N. Pater suavi providentia instituit, ut jam inde ab exordio vitæ religiosæ existimationi gloriæque mundanæ paternæque domus commodis mutuum remittentes, discant à providentia caritateque Numinis totipendere. His sponte accedunt exercendæ patientiæ humilitatisque occasiones nec paucæ nec exiguæ: mortalium nonnullis parum humaniter eos hospitio excipientibus, nonnullis calumniarum, quàm stipis in eos largioribus, Jesuitarum

Ex intimo demissionis, sensu,

velut fato; quorum vitæ ratio, cùm in quærenda salute aliena, cunctisque beneficiendo, sita sit, complurium maledicentiâ odioque pensatur. Vincentio porrò peregrinatio ad montem Cassinum obtigit: & cùm discedendi tempus adfuit, inter amplexus traditæ sunt à Magistro Societatis litteræ patentes, conditionis peregrinantium indices: quæ traditio argumentum est alicujus in duos comites imperii. Porrò levissima hæc honoris umbra potiùs, quàm honor, sic illum afflixit, ut illicò humi prostratus summississimis precibus eum deprecaretur, precesque rationibus congestis firmare conaretur, quas ex ineptitudine sua ad tantillum officii, & unde unde poterat, operosè, pariter ac sincerè ducebat: usque eò ut Magistrum ad commiserationem sui, atque ad tradendas uni comitum literas perpulerit. Tum verò quasi è gravissimo periculo ereptus, alacer & gaudio triumphans erexit se in pedes, & iter ingressus est. Nec diu cunctatus, instat apud socios, ut sarcinulas suis unius humeris imponant, quippe ipsis robustioris. Deinde ad hospitium appulso urget, seipsum ut  
finant

finant eorum calceos luto, vestes pulvere ac cœno purgare, lectos sternere, cetera servorum obsequia obire; idem speciosum velum humilitati prætexens, quòd cum viribus polleret præ aliis, ex Dei eas conferentis consilio ac voluntate easdem illis commodare deberet. Certè aliàs quoque, quotiescumque licebat, sociis magna sua voluntate inserviebat; itaque cum iis se gerebat, ac si ex mera gratia in Societatem esset admissus ut ceteris famularetur.

Jam in corporis maceratione par erat infensissimo sui hosti; familiaria illi aspera cilicia, acres verberationes, jejunia, durus & inquietus somnus super nuda humo ac tabulis; nihilque propius fuit, quàm ut modum in iis excederet, nisi Præsidum vigilantia inhibuisset. Quod vitium in tironibus laudabile propè dixerò: quoniam magni animi index est, & non vulgaris virtutis prænuncium: in Vincentio autem magis virtuti affine, quod ab egregia mentis depressione enatum erat, cui pœna omnis infra meritum levissimæ noxæ videri solita est. Ita factum aliàs, ut cum æditui socium atque adiutorem

Corporis sui hostis acerri-  
mus

torem

torem ageret, faxque cerea fortuito è manibus ejus elapsa confracta esset, continuo ad ministrum accurrerit, poenamque delicti petierit. Cui ille, *Quid tibi commeritus videris, ait, ob incuriam istam, neglectumque religiosæ paupertatis?* (Sic religiosæ scholæ loquuntur) *fustuarium,* inquit Vincentius. & sic ego censeo, subjecit minister. *Igitur prandii tēpore triclinium circuibus, noxam hanc Novitiis confitens: quos identidem rogabis, ut te in illius poenam fuste excipiant. Et si quis hanc gratiam tibi præstare paratus erit, a quo animo tolerabis ictus, ac pro iis habebis gratias.* Hæc ille. Cùm ergo pransuri confedissent tirones, adest Vincentius, triclinium obit, culpam ingeminat, fustuarium in poenam exposcit. Silent omnes, demissionis exemplo, non culpæ aut poenæ intenti: donec ad eum pervēnit, qui Præsidis jussu, quod rogabatur, promptum se exequi dixit. Tum Vincentius hilari vultu gradūque citato ad crassum nodosumque fustem, quem ad id paraverat, se convertit, quando ab obvio, qui cuncta spectaverat, ministro re infecta ad mensam missus est: sanè incestus, uti spe publicæ

VINCENTII CARAFÆ. Lib. I. 61  
publicæ & probrosæ verberationis fuerat  
exhilaratus. Sed ad mercedem divinam,  
tentasse pulchrum facinus; fecisse est, ubi  
sola voluntati deest facultas.

Sed hæc impræsentiarum. Nam de pe-  
culiaribus virtutum exemplis posteriore  
libro propriè agendum. Nunc in argu-  
mentum provectæ vel in tirocinio virtu-  
tis Vincentii, non inane ostentum pro-  
fero. Mendicabat ipse adhuc novitius per  
urbem Neapolitanam, cum è prima no-  
bilitate vir eum attentius intuitus, anim-  
advertit toto vultu ac capite cælestibus  
radiis coruscare: Attonitus spectaculo,  
in ipsius comites novitios pariter mendi-  
cantes convertit oculos: at nihil in illis  
simile. Interpretansque hoc viso raram  
cœlitus ostendi virtutem, eminus sequi-  
tur euntes usquedomum probationis, to-  
tòque itinere idem è Vincentio splendor  
emicat. Quo domum ingresso, tironum  
magistrum (nomen illi Horatio Sabbati-  
ni) ad se accersitum de tota re certio-  
rem facit, rogatque, quis ille juvenis sit. Ho-  
ratius ad certius indicium, Novitios om-  
nes, obtenta consilio nescio qua causa,  
ad hortum vocat. Inter eos comparet

Novi-  
tius  
quidē,  
sed ad-  
ulta vir-  
tute

Vincen-

Vincentius, atque ex omnibus à viro nobili dignoscitur idem ipse, quem fulgere viderat: auditóque quis foret, de Magistri venia, paucis cum eo de divinis rebus ad animæ suæ solatium collocutus, ad suos se recipit, cum præclara scilicet virtutis ejus existimatione, cum præsentis, tum etiam futuræ, cujus tam faustum omen præceperat. Cui affine est alterum, quod haud multo post, nempe primo, vel secundo, quo studiis in Societate operam Vincentius dabat, anno contigit. Quondam enim cum R. P. Albizius, patria Florentinus, sanctimonia & frequentibus cæli favoribus clarus, ac juvenum nostrorum in Collegio Neapolitano ordinarius confessarius, excipiendis eorum exomologesibus ad cubiculum rediret, inter alios operientes, Vincentium vidit miram radiantem luce, attonitusque eodem gradu constitit aliquamdiu, & in illum oculos avidè intendens, quam de angelica ipsius integritate opinionem conceperat, non parum confirmavit: adeo ut Nostris postmodum cum pietatis ac reverentiæ sensu dictitaret, se Sancti juvenis confessiones (Vincentium intelligebat) solitum

tum audire. Nimirum hortulani more, lectissimi inter ceteros floris culturâ adeo gaudentis, ut lætitiâ nequeat dissimulare.

Ceterum biennio probationis expleto, votisque Religionis, ea quam credere par est, animi devotione Deo nuncupatis, ad altiora studia missus est. Et quoniam frequenter usuvenit, ut nisi principio & intentiore cura malum prævertas, ferventis ingenii labores pietatis succo mentem exhauriant, & sciendi cupido sacris commentationibus otium suffuretur, simul ac illam palæstram ingressus est, sollicitè providit, ne vel temporis punctum divinis negotiis decederet. Quam in rem hæc, quæ subjecta sunt, cælestis sapientiæ decreta, in codiculum relata, ut ad manum essent, sibi deinceps accuratè observanda proposuit. 1. *Primum tibi studium esto legere Christum cruci affixum. Recurrat animo illum eo maxime loco mitem esse, & humilem corde; penitusque cruciatibus & mortis angustiis opprimi. Hoc ex libro desiderium eius causâ patiendi hauries.* 2. *In aliarum disciplinarum studiis eum modum teneto, quem Præfecti præscripserint: quippe sicuti*

E tyra-  
cinio  
mitti-  
tur ad  
studia.  
Studen-  
tis pu-  
rissima  
mens,



sicuti leges nostra precipiunt, non alia studendi causa proposita tibi esse debet quàm obedientia, & caritas obedientiæ amica. Quapropter extra tempora studiis destinata, ita mentem ab iis avertes, ut si nunquam applicuisses. Et verd Angelicum Doctorem ferunt sic orasse, ut interea nulla de studiis obreperet cogitatio; sic studuisse, ut nulla de oratione. Quo pacto non cupiditate sciendi, multò minus scientiam venditandi, sed solo obediendi studio studiis te commodabis, atque adeo facile cum res feret, subtrahes. 3. Ingens præmium ita studentibus propositum mentis tuæ oculis crebrius obiiciendum. Et contra si secus faxis, exspectandum tibi funestum illud: Recepisti mercedem tuam, inanem scilicet exsaturata curiositatis fructum, oblectationem. 4. Fixum omnino tibi certumque maneto, studendum ut pareas, non parendum ut studeas. Rursum edico, non tibi statuendum esse alium studiorum finem, quàm obedientiam. Sic enim, cum Supremo Iudici sistere, confidenter illi dicere poteris, quod quispiam Sanctus vir, Redde quod promisti, quia fecimus quod iussisti. Hæc ipse sibi: nec sanctiùs decrevit, quàm præstitit constantiùs. Illud

Aug.  
serm. 16.  
de verb.  
Apost.

Illud imprimis studuit, ut potius ex  
**JESU** cruci suffixo virtutum usum, abdi-  
 cationemque omnis humanæ voluptatis,  
 quàm ex libris ac dictatis arcana scien-  
 tiarum edisceret. Quare cùm nulla vo-  
 luptatum cum ea conferri possit, quam  
 reconditarum rerum maximè recens  
 scientia parit, cumque ipse R. P. Antonii  
 Palumbi, magistri sui iudicio, nulli fre-  
 quentium condiscipulorum cederet inti-  
 mis Theologiæ rimandis, & seipsum &  
 voluptatem è studiis sponte natam sus-  
 pectam habuit. enimverò metuere cœpit  
 castissimi voti juvenis, ut unicam Numi-  
 nis gloriam, nevè ullam in studiis oble-  
 ctationem spectaret. Et quia nec eam  
 voluptatem, è scientia derivatam; nec  
 metum illum aut dubitationem depelle-  
 re ab animo per se poterat, certus abdi-  
 care abjicereque omnia, quæ Deum uni-  
 cè quærenti fraudi esse queant: Modera-  
 tores missionem à studiis flagitavit; uná-  
 que descensum ad fratrum laïcorum con-  
 ditionem. Sed tantùm abest, ut obtinue-  
 rit, ut etiam eo nomine aptissimum ad  
 studia religiosè tractanda judicarint: nec  
 enim certior virtutis index, quàm oppositi

Fugitās  
 volu-  
 ptatis  
 è scien-  
 tiâ sca-  
 turien-  
 tis

E

vitii

vitii metus. Perrexit itaque in studiis: sed contrà, quàm metuebat, nec de pietatis fervore, nec de cura uni Deo placendi, quam è tirocinio attulerat, quidquam remisit: quin etiam utrumque in dies intendit.

Et pri-  
mi fer-  
voris  
retinēs,

Festos igitur dies, utpote Deo sacros, omnino totos eidem reddebat; partim piis libris legendis, partim rebus divinis commentandis, partim precibus fundendis. Et quamvis perenni mentis labore caput oppidò fatigatum vix sustineret; numquam tamen ei levando quietem captabat ullam, aut ferebat: perpetua sensuum compressione sibi Deoque intētus. Quamobrem vacationis etiam à studiis dies, quot hebdomadis concessos ad reficiendas ingeniorum vires, vel negotiis divinis, vel ægrorum in Nosocomio Neapolitano jacentium ministerio dabat, quasi si vili isto laboriosoque famulatu levaretur. Quibus ex rebus Patribus nostris enata occasio est, Vincentium cum Beato Aloysio componendi: iis nominatim qui utroque familiariter usi fuerant: Nec ille huic inferior visus, seu vitæ integritate, seu perpetua cum Deo familiaritate, seu  
sui

adeo ut  
jam tū  
cum B.  
Aloysio  
confer-  
retur

fui contemptu, seu voluntariis cruciamentis, seu modesta corporis compositione. Et erant, qui sanctimoniam Vincentii blandius splendescere dicerent, ob intermicantem illi morum suavitatem: qua mixtura quemadmodum nihil amabilius, ita nihil ad virtutis imitationem pertrahit potentiùs. Sanè permulti hoc magnete tracti Vincentio adhærebant.

Quæ res, opinor, supremum Moderatorem nostrum impulit, ut Vincentium incundæ Theologicæ palæstræ Romam acciret, ad spargenda Collegio Romano atque adeo Societate universa virtutum exempla; quippe quòd illud universæ quasi seminarium sit. Quamquam autem Romæ annum unicum commoratus est, quod grave illi esset & insalubre cælum Romanum: tantillo tamen spatio, benignioris instar astri, pluribus ad virtutem profuit, nec paucos à mundi inaniis ad solida Religionis bona traduxit. Horum oculatus ac locuples testis R. P. Nitardus Biberus, Rhæni superioris Provincialis, qui ad litteras admodum R. P. Florentii de Montmorency id temporis Generalis Societatis JESU Vicarii, de obitu admodum R.

Exempli  
causâ  
Romæ  
ad  
Theologicū  
cursum  
voca-  
tur.

P. Vincentii rescripsit in hanc sententiam:  
 „ Litteras Reverentiæ vestræ 10. Junii datas  
 „ accepi, simulque luctuosum nuntium de  
 „ admodum R. P. nostri Vincentii Carasæ  
 „ morte, omni profectò sanctimonix gene-  
 „ re illustris. Quemadmodum autem tanti  
 „ viri jactura tam inopinata non mediocri  
 „ nobis fuit mœrori: ita virtutum ejus me-  
 „ moria pari stimulo ad earum imitatio-  
 „ nem. Equidem sanctè testari possum,  
 „ me dum Romæ, jam à 33. annis, Germa-  
 „ nici Collegii alumnus operam Theologiæ  
 „ navarem, solo illius aspectu scholam in-  
 „ gredientis, in eaque confidentis, ad sæ-  
 „ culi contemptum vehementiùs impul-  
 „ sum fuisse, quàm si triduum exercitiis  
 „ S. P. nostri Ignatii dedissem. Summâ, &  
 „ condiscipuli mei, & ego ipsum pro sancto  
 „ ac pro Angelico juvene habebamus.  
 „ Hæc ille Moguntia 9. Julii 1649.

Valetu-  
 dinis  
 causâ  
 redit  
 Neapo-  
 lim

Neapoli verò, quò, repetente Neapo-  
 litano Collegio, florentissimæ illius Aca-  
 demix bono remissus est, uti diutiùs ju-  
 ventuti illuxit modestiæ, ac reliquarum  
 virtutum exemplis, ita in plurium pecto-  
 ribus vitæ sanctioris studium accendit.  
 Occupabant scholarum auditores horis  
 integris

integris earum tempus, ut Vincentii intrantis modestissimo habitu oculos animosque pascere: eminusque viso, ecce (inter se aiebant) ecce sanctus adest. In schola vix ab eo oculos avertere: observare tacite nutus illius omnes: mirari invicem silentii tam tenacem, ut nullum unquam ex ore suo excidere fineret verbum: tam alienum à curioso aspectu, ut oculos semper demissos teneret: tam denique modestiæ studiosum, ut ne importunas quidem muscas abigeret, quasi si earum aculeum non sentiret, aut velut illi interpretabantur, si divinam ecstasim pateretur. Postremo, Vincentii mores ac sanctimonia tantam vim intuentis & admirandæ juventæ animis fecit; ut illius æmulandæ studio, multi è mundo, ut vocamus, ad religiosa claustra convolarint. Quæ vis etiam domi atque in religiosa familia valuit. Si quis enim progenio Italicæ gentis, excitatori erat indole, quàm ut intra modestiæ limites per se ipse consistere posset, Vincentio eadem cellâ consociabatur, quò illius aspectu tamquam perpetua suaviq̃ue censura corrigeretur. Usque adeo ratum est unicum

hominem sanctum plurimis sat amplum theatrum esse, eoque tacente omnes illius nutus virtutem animi presentare, nec sine pio motu spectari posse.

Despici-  
cientia  
sui mul-  
tis ex-  
ternis  
prodest.

Verum ad has & eiusmodi animorum conversiones, plus etiam contulere plurimae frequentesque vexationes sui, ludibriaque famae à Vincentio ultrò quaesita. Apparando ad festos dies sanctius celebrandos animo, solitus erat veste in laceram ad Collegii januam è genibus stipem à studiosis petere. Aliàs in simili veste Neapolim mendicans obibat, & subinde ex collecta stipe prandium egentibus instituebat pro Collegii foribus, ubi & edebat ipse cum illis: neque aliud quàm quod reliquum fecerant; seu quia minus arrideret palato, seu quia domum deferre pigebat. Quondam Neapoli, stipem eodem amictu, & mantica insuper ex humero pendente, ostiatim corrogando, demum palatium paternum attigit numeroso mendicabulorum comitatu cinctus: quippe quibus acceptam stipem impertiri confuesset. Vidit illum patruus ille Capuae Prior è fenestra: statimque acerbo suffusus pudore, & ira exardescens, quam intoleran-

intolerandum hoc, ut rebatur, familiæ Carafæ probrum concitaverat, fuste arrepto descendit, propiorque factus illum in caput Vincentii intentavit; & nisi socius avertisset, hominemque quâ precibus, quâ rationibus mitigasset, non nisi verberibus malè exceptus discessisset Vincentius. De cetero vicem verberum supplevit ingens in eum exoneratus convitiatorum cumulus. Jam enim probrosum lixam, jam infame mendicabulum, jam bipedum ineptissimum, jam claro sanguine indignissimum occlamitans, tandem in malam crucem abire jussit: gaudentem profectò Apostolico more contumeliâ; sed laticiam temperabat, quòd verberibus dignatus non esset.

Peracto Philosophiæ curriculo, ut quantocyus fieri poterat, præcipuis ac publicis Societatis muneribus, quibus natura virtusque eum aptaverant, admoveretur, monitus est à R. P. Provinciali, sese ut ad ineundam proximè Theologiam pararet. Nimirum præter morem Societatis, quæ studia ista humaniorum magisterio ad aliquot annos continuato interfecare amat. At prærogativa illa, quæ aliis dum obtingit,

Omnis  
præro-  
gativæ  
impä-  
tiens



non vulgarem de se opinionem, lætitiã-  
 que parere nata est, lachrymas etiam, &  
 singultus ex ipso elicit. Cùm enim ex  
 condiscipulorum sermonibus & aggratu-  
 latione comperisset Præsides non eò ad-  
 ductos, quòd regendæ juventuti ineptum  
 censerent ( quæ cogitatio primùm non  
 parum illum solabatur ) sed quòd altiori-  
 bus muniis parem; confestim ad R. P. Vin-  
 centium Maggii rebus spiritualibus præ-  
 fectum se contulit, provolutusque in ge-  
 nua, manantibus lachrymis oravit, ut à  
 Moderatoribus obnixè contenderet, ne  
 se præter reliquorum morem docendis  
 humanioribus eximerent. Quam in rem  
 tam multa congestit demissionis pariter  
 ac doloris argumenta, quæ ipse rationum  
 momenta ducebat, tamque appositè di-  
 xit, ut Maggio persuaserit, & hic Præsi-  
 dibus, dandum id ejus dolori, & humili-  
 tati in præsentia cedendum. Quare sum-  
 mo suo gaudio ad docendam Salerni  
 grammaticam destinatus est.

Gram-  
 maticã  
 ex voto  
 docens  
 qui se  
 gesserit

Quemadmodum autem ceteris rebus,  
 quas ad Numinis obsequium aggredieba-  
 tur, se totum impendebat; ita huic maxi-  
 mè ministerio, in quo & plurimum mo-  
 menti

menti ad animarum subsidium, & ad charitatis, patientiæ, submissionisque exercitamentum, non parum opportunitatis inesse noverat. Quocirca sibi suisque discipulis non mediocriter profuit: his quidem, junctis docendi sedulitati, industriæque multiplici, angelicæ vitæ exemplis: sibi autem demissione animi ac nitore. Mirum dictu! discipulorum censuræ ipse angelicus magister mores suos subiciebat; atque ut nævos suos sibi liberè aperirent, hortabatur: etiam proposito præmio. Quæ liberalitas acuebat scilicet adolescentum oculos, gestuum magistri verborumque observandis erroribus; sed cum nullos deprehenderent, præmii cupidine eorum umbram vitio illi dabant. Quale illud, quod quondam è discipulis quispiam objecit Vincentio, clericalem ejus tonsuram plus æquo ad lævam vergere: qui tamen nec indonatus abiit. Porrò à scholæ laboribus ac curis, ut corpus ac animum tantisper reficeret, domum regressus, auram liberiolem è fenestra captabat, sed maximè cælestem ac divinam. Quippe eminens prospectans sublimem crucem, ejus in aspectu im-

motus hærebat, ac deinde manantibus gaudio lacrymis perfundebatur, scilicet ad magistri divini præceptiones è libro illo Sanctorum, unde dum amare discitur, condiscitur & labore & ærumnis gaudere. & verò gravi per sese scholarum oneri multiplicem operam in animarum subsidium adjungebat. Identidem enim egenos vagosque in unum locum cogere, fidei morumque doctrinam eis exponere, eosdem ad exomologesim conducere solitus erat. & fortunabat illius studium Deus complurium ad meliorem vitam traductione, quoniam fideli servo, atque adeo nihil sibi arroganti, operam jungere gaudebat.

Item  
Philo-  
sophiã

Sed illa cura salutis animarum visque divina potissimum enituit, dum in Neapolitano Collegio Philosophiæ placita explicaret. vide autem prius ejus ad hoc magisterium apparatus. Ad tirocinium Societatis secessit: ibique cælestis sapientiæ discipulo, quam humanæ Philosophiæ magistro propior fuit. Visebatur super illius mensa Aristoteles cum Thoma de Kempis; scripta item philosophica cum asceticis; quòd Philosophiam Theologiæ mysticæ

mysticæ rectè sociari sciret: quemadmodum Dominæ ancillam, ut in tempore famuletur. De cætero inter docendum sive disputaret, sive privatim illius scientiæ abdita rimaretur; ingenium præferbat non perspicuum magis quàm profundum. Acer autem erat in concertationibus, sed sine aculeo iræ aut tumore superbiæ, neque aliam ullam animi perturbationem prædebat, ratus disputationem ingeniorum inter se pugnam esse, non animorum. Sacræ porrò illius culturæ discipulorum argumentum sat efficax est, quòd ex iis plus sexaginta ad cælestem religiosorum Ordinum sapientiam confluerint; & qui sæculo nuncium non remisere, Christianæ pietatis officiis præclare deinceps perfuncti sint. Ad quod plurimum contulit suave simul & efficax vitæ illius exemplum, sine voce eloquens, liquidoque demonstrans, fluxa mundi contemptu, solum Deum amore, sola æterna votis nostris digna esse. Accedebant singulis diebus modò breviores, modò longiores disceptationes super præcipuis ac gravissimis Christi effatis, Christianorumque scitis, quorum objectu ac  
lumine

lumine acuuntur mentis oculi, perspicuuntque tum demum eas res, quibus fallax species pretium facit, planè nihili faciendas esse, si præsertim cum æternis comparentur. Eapropter frequens illi sermo de fine, ad quem conditi à Deo sumus: de malitia & pœnis peccati, quod mortales ab eo fine avertit: de vanitate curarum laborumque humanorum: de momento illo, quo pereunt universa tantis parta laboribus: frequentissimus de æternitate felice vel infelice, quæ ex eo momento pendet. Quibus sermonibus pondus ingens additum à diviniore illo spiritu, quo hæc differabat. Hic enim animis sese quasi immittens propè eosdem motus in iis ciebat, quos in se experiebatur Vincentius: adeo ut se denique dederent vel Deo per Vincentium vincenti, vel Vincentio per Deum. Quos inter cùm bonus numerus Societati se adjunxisset; ipsemet Rector illis tironibus impositus est, è medio secundi curriculi Philosophici avulsus; ut quos sublimiori sapientiæ initiaverat, illius arcanis penitus imbueret. Sed de hac aliisque ejus præfecturis, ac regendi peritia, simul  
agendum

VINCENTII CARAFÆ. Lib. I. 77  
agendum suo loco, ne dicta repetere  
cogamur.

C A P U T V.

*Vetus & infrequens Beata Vir-  
ginis apud PP. Societatis IESV  
Sodalitium nobilium Equitum  
pristinæ celebritati vigoriq; re-  
stituit, ac subinde utrumque  
auget.*

**V**T mortales, sic mortalium omnia  
sensim deficiunt; & nî reparentur,  
ad interitum sponte sua tendunt. Eximia  
potissimè: quoniam infueto vel naturæ  
vel gratiæ quasi conatu parta eodem con-  
sistunt, qui utique diuturnus esse non po-  
test. Communi hoc vitio defloruerat le-  
ctissima olim nobilium Equitum Sodali-  
tas in Domo Professâ Neapoli Virgini  
Natae sacra, tam paucos jam numerans  
Sodales, ut præter decus, Sodalitii quo-  
que ac cœtus nomen propè amisisset. Re-  
staurandæ vir navus, multisque animi  
opibus

Sodali-  
tii No-  
bilium  
Equitū  
curam  
suscipit.

opibus

opibus pollens opus erat. Quæ cura Societatis Præsides in varios variaque consilia distrahebat. Eò maximè, quòd intelligerent reparati vigoris fructum etiam ad populum & ad ægros manaturum. Quippe quòd probis nobilium exemplis populus ad officium pertrahendus, & eorumdem benignitate legibus sodalitiï sancita, ægri communium Nosocomiorum levandi essent. Verùm re Domino ac Dominæ Dei Genetrici obnixiùs commendatâ circumspectisque omnibus egregiis profectò viris, qui ad hoc muneris destinari possent, aptissimus unus inter omnes occurrit Vincentius, qui ad id naturâ gratiâque divinâ factus videretur. At ipse ubi illud Moderatorum de se iudicium consiliumque sensit, cohorrui primùm, præ animi demissione, impares tanto oneri speique de se conceptæ humeros opinanti: tum & gliscente metu ne per suam tanti muneris aptè gerendi imbecillitatem res in deterius flueret, vir aliàs obsequi promptissimus, à Sodalitiï præfectura abhorruit, & quantum citra vitium licuit, illi se subduxit. Non sic tamen, quin continenter precibus  
apud

apud Deum instaret, ut si divinæ menti ita federet, admittendam sibi esse, voluntatem suam insinuare dignaretur: siquidem hac intellectâ, se confestim & illam & quidlibet aliud audacter aggressurum. Enimverò nimio plus noverat, Deum nihil muneris mortalibus imponere, cui sustinendo sat virium non sufficiat. Et placuit Numini voluntatem hac super re suam fidissimo famulo declarare, interprete, ad quam res propriè spectabat, Serenissima Cæli Regina. Hæc enim cuiuspiam familiari, atque adeo visis cælestibus illustri mandavit, Vincentium ut suo MARIÆ nomine hortaretur, provinciam istam susciperet: neque suis viribus ita diffideret, ut Marianæ auxilio non plurimum niteretur: se enim ipsi laboris sociam, quin & cœtui illi suo Præsidis loco futuram. Quo promisso vehementer confirmatus, oblatam provinciam admisit. Nec mora, ita ipse secum: *Euge deinceps*, ait, *Deus mihi & Sodalitas*: subaudi: unicè cordi erunt. Hæc enim solennis illi formula gravius aliquid ad Numinis gloriam aggredienti, quam non impar studium rectè illud administrandi, divinæque gloriæ

gloriæ



gloriæ velificandi sequebatur. Profectò tum alia munia sibi à Moderatoribus injuncta, tum hoc ipsum sic tractavit; ut si aliud nihil in vitâ agendum haberet. Quare quotiescumque Sacerdos ille, qui in laboris consortium additus illi fuerat, ad Vincentium in cubiculo adiret, de Sodalitii rebus acturus, *Quid mi Pater*, aiebat Vincentius, *de Sodalitio novi. Eia fiant Sancti*, Sodales intelligebat: ut appareret in id unicè incumbere. Sed multum agit, qui unum impensè, atque ex Numinis voluntate agit.

Et illud  
numero  
auget.

Porro ut primùm Vincentium Sodalitati Nobilium Equitum præesse fama vulgavit; facile patuit, Immaculatam Mariam, singularem ejus curam suscepisse. Confestim enim Equites ineundi cœtus desiderium incessere, crescere Sodalium numerus, lectissimi quique ac primæ nobilitatis viri albo inscribi se curare, ut multitudinem loci angustia non caperent. Quod eò admirabilius, quòd Vincentius neminem vel per se, vel per alios ullâve arte alliceret (nisi fortè sanctimoniam illius illecebram excipias) quoniam optabile erat, hominem Numine plenum  
in

in magistrum vitæ, animæque patrem  
fortiri, & adeo per ipsum regi ab ipso Deo.  
Neque verò ullum exinde allicere susti-  
nuit. Etsi enim satis constaret, solo ejus  
invitatu complures accessuros, cui nimi-  
rum gentis ac sanctitatis respectu nihil  
negaturi essent: tamen probè noverat  
non sponte, sed precariò adscitis, non  
nisi precariò præcipi. eoque, lentescere  
legum vigorem, præfectique authorita-  
tem infringi; quorum damnorum, longè  
potiorem, quàm numeri Sodalium ha-  
bendam esse rationem. Quam etiàm ob  
rem rogatus à nonnullis, ut quempiam è  
præpotentibus Regni Principibus, arctissi-  
ma sibi propinquitate conjunctum, ad  
Sodalitium invitaret; (quippe quia ejus  
accessione videbatur non mediocriter  
cohonestandum: nec nisi invitatus spera-  
batur accessurus) penitus recusavit; quòd  
diceret non esse ejusmodi illius vitam, ut  
tali loco ac cœtu dignus censeretur:  
& verò dissimulari illam in Sodale, non  
aliud esse, quàm tacitè approbari: neque  
audiendum, si in animum induceret,  
se posse simul mancipium Veneris, & Vir-  
ginis filium esse. Etsi enim id, quod fieri

F

nulla-

nullatenus potest, daretur, tamen in Sodalitate tolerari nefas esse, ne nomen illud ac gradus graviter violetur, ii'que, qui eo digni sunt, indignè deprimantur.

Pristi-  
noque  
reddit  
vigori

Atque his rebus pristinus Sodalitio vigor redditus. Non infrequenter sub Sabbathi vesperam cædere se volentium multitudini, flagellorum numerus impar erat: uti & paratarum Eucharistici Panis formularum copia festis diebus accumbentium. Dein revocata in usum Christianæ charitatis humilitatisque exercitia. Inter alia nominatim, laudabilis illa consuetudo, singulis Martis diebus ægrotis interveniendi, in valetudinario quod nuncupant, incurabiliū. Quod tanto animorum ardore frequentabatur, ut lecticas ægrotorum, axesque famulares ante occupare pro se quisque certarent, appositis occupantium indicibus. Crebròque accidit, ut Equites plures ad famulandum convenirent, quam ægri in frequentissimo alioqui Nosocomio censerentur. Emicabat autem in eo famulatu non pietas modò, sed & egregius sui contemptus insuetis mixtus gaudiis, ad stuporem lacrimasque spectantium. Enimverò abluabant idem  
ridem

tidem à capite usque pedes mendicabula  
 squallore ac putore horrida, ulcerumque  
 tabo computrescentia: syderatos, mem-  
 brisque captos ad commodum situm  
 componebant, ut cum Jobo dicere pos-  
 sent, se manum impoti manuum, pedem  
 claudo, & oculum cæco fuisse. Omnibus  
 lectos sternebant, iisque eos inferebant.  
 Vitâ functos suis ipsi manibus sepultos  
 supplicantium agmine efferebant, preci-  
 busque ac sacrificiis prosequerantur.  
 Quibus in ministeriis ut Vincentius ex-  
 emplo cæteris præibat; ita ingenti com-  
 plebatur voluptate. Cui licet se subtrahe-  
 ret, ne eâ tamquam laborum mercede  
 frueretur; cavere tamen nequibat, ne pro  
 lætitiæ vi speciem hominis à sensibus ab-  
 alienati præ se ferret. Et indidem ipse  
 ansam argumentumque ducebat de cæle-  
 sti beatitudine philosophandi. *Si enim,*  
*ut secum ipse ratiocinabatur, tantum li-*  
*quidissima voluptatis hauritur ex famu-*  
*laribus ac molestis operis infætidis ulcero-*  
*sosque atque aspernabiles agros, Dei causâ*  
*susceptis, quantum amplius ex perenni visu*  
*ac consuetudine cæli Principum, Numine*  
*ac celestibus deliciis circumfluentium? Si*

stillula supernæ beatitatis sic pectus complet; quid faciet immensus illius oceanus?

Nova  
inducit  
charita-  
tis offi-  
cia,

In vale-  
tudina-  
rio

Ceterum tanto Sodalium fervore animatus Vincentius, charitatis munia instituit veteribus ac primariis ampliora. Primum, stasis per hebdomadem ministeriis, in illo incurabilium nosodochio, extraordinaria adjecit, affixitque celebrioribus anni temporibus, digna profecto, quæ imitetur mireturque posteritas. Tunc enim ægrotis omnibus pedes eluti, epulum regio sumptu instructum, bombycinis aureisque peristromatis valetudinarium vestitum, mensæ selectissimi generis mappis instratæ, quibus lintea tergendis pedibus haud imparia, aquæ iisdem lavandis perquam odoriferæ, paropsides instrumentumque omne escarium ac potorium argenteum, escæ non modo copiosæ, sed & delicatissimæ: Et ne quid ad delicias afflictorumque solatium deesset, divinæ laudes modulatione musicâ inter mensam personabant. Deinde ad condimentorum distributionem ventum: tanta in singulos copia, ut quondam ex adstantibus quispiam sexaginta pelves argenteas & capaces, his refertas numerarit, putatisque

putatisque rationibus sacchari numerum  
ad mille libras pertingere compererit.

Neque tamen magnifica illa charitas, va- <sup>apud</sup>  
letudinarii finibus circumscribi se passa <sup>Vinctos</sup>

est: authore Vincentio ad vinctos quoque  
porrecta. Itaque cum *Catena* Neapolim  
adventarent (sic reos insignes vocitant,  
qui ex toto Neapolitano Regno coacti  
Neapolim vincti mittuntur) ipse cum suis  
Equitibus, Dux & Princeps agminis, præ-  
lata cruce, inter Litaniarum cantum ob-  
viam illis ibat, deductisque in grandio-  
rem Vicarii aulam, pedesque lotis, opi-  
paræ mensæ dein accumbentibus, cum  
iisdem Nobilibus famulabatur. Quos  
equidem Equites Sancti Spiritûs, non in-  
venustè immeritòve appellare posse vi-  
deor, quos illius afflatu ad miserorum  
solatium circumcursare video. Sanè ipse  
famulantium conspectus ac contempla-  
tio potissimum mensæ condimentum erat,  
plusque animos afflictorum, quàm escæ  
corpora reficiebat: quos & Vincentius  
deinde confirmabat, apposita ad persua-  
dendam incommodorum carceris pœna-  
rumque patientiam oratione. Siquidem  
hæc ab illis deberi pro facinoribus non

tam humanæ quàm divinæ justitiæ. eam autem, si jure suo utatur, longè acerbiora supplicia exigere posse. semper verò hac in vita Patris potiùs esse, quàm Judicis: imò Patris benevolentissimi, qui pœnas etiam debitas, in pignus hæreditatis fruendæ vertat, si æquo animo tolerantur; & infamiam, in segetem laudis æternæ. Addebant porrò his Sodales frequentem ac largam stipem in miseros: quæ & nonnulli redimebantur, quos in longis durisque ærumnis non sine gravissimo familiæ suæ damno carcer attinebat.

Et pietatis

Atque hæc charitatis: quibus accedere non minora pietatis officia eodem Vincentio institutore. Imprimis publicæ totius cœtûs in templo synaxes, quæ aliquoties intra annum obibantur ab Equitibus, non vulgari ad ciendam plebis pietatem incitamento. Triduo item toto hilarium quadragesimæ proximè prævio, quo majore cum apparatu exponitur SS. Eucharistia, ex antiquo Societatis ritu, instituit ut duodecim nobiles Equites continenter coram illa orarent, succedentibus post singulas horas ex eodem Sodalitio novis: quod pietatis genus, eodem authore

authore, ad septem præcipuos dies Beatissimæ Matri sacros derivatum est, quibus insuper grandis ducatorum copia egentibus, quos pudor occulit, impertitur à Dominis Montis Pietatis administrationi præpositis, qui ex eadem Sodalitate eliguntur. Ad hæc, semel per annos singulos S. P. Ignatii exercitia octidui spatio tradebat: notum insignibus per multorum conversionibus pietatis instrumentum, ex serie meditationum super Evangelicis axiomatis, vitæque Christi, arte quadam divina contextum. Et quoniam quibuscumque Nobilibus, etiam Sodalium albo non inscriptis, convenire ad illas fas erat, tanto horum concursu, imò & hominum Religiosorum frequentabantur, ut locus, tametsi benè amplus, iis capiendis non sufficeret. Et profectò vel Vincentium audisse meditanda proponentem (licet in meditando præcipua vis exercitiorum sita est) fat erat illustrandis inflammandisque animis desiderio vitæ sanctioris, qualis utique expectanda ab eo, qui sic temporariis uti debet, ut semper spectare, semper expectare, semperque ambire debeat æterna. Nimirum

Vincen-  
tii ardor  
in tra-  
dendis  
exerci-  
tiis S. P.  
N. So-  
dalibus.



hisce mysteriis disceptandis divina lux  
 haud modicè se menti Vincentii super-  
 fundebat : quam sequebatur infuetus ar-  
 dor, ut cor illi è pectore exilire videretur,  
 facies tota ignesceret, oculi affatim ex-  
 primerent quod vox eloqui non valebat.  
 Crebròque contigit, ut cùm meditatio-  
 nis capita prout erant à se concepta  
 distinctaque proposuisset, divina quadam  
 vi abreptus alia omnia persequeretur; ut  
 appareret Spiritûs Sancti organum esse,  
 nec jam suo ipsius arbitratu; sed illius im-  
 pulsu moveri. Verùm nulla Vincentii in-  
 dustria Equitibus illis fructuosior institu-  
 tione secreti cœtûs quaque feria sexta  
 sub vesperam iniri soliti ab iis, quos ar-  
 dentius religionis, imitandique Christi,  
 studium ceperat. Quo quidem die sic  
 abstrahebatur ab humanis, sic Deo fixus  
 hærebat, nullis ut sermonibus aurem vel  
 tantisper commodaret. Cùmque illius  
 in ea præfectura Socius Sacerdos è Socie-  
 tate nostra consilii ergò ad eum accede-  
 ret, nihil aliud responsi ferebat, quàm  
 hoc ipsum, *Hodie, mi Pater, cœtus habe-  
 tur secretus* : quibus pauculis in mentem  
 illi revocabat, nullas se præterquam de  
 divinis

& cœtu  
 privato

divinis cogitationes admittere. Antequam illi daretur initium, duas solidas horas in ferventissima oratione exigebat, nec nisi sic inflammatus ad inchoanda illius exercitia ingrediebatur. Sodalitii aula nigris obtensa erat: medium obtinebat simulacrum Christi è cruce pendentis, magnitudine corporis humani, super suggesto nonnihil à terra extante, pannóque nigro pariter obtecto jacens. Circum illud ossa demortuorum, cruces & coronæ spineæ. Exordium à lectione Carcerum Joannis Climaci ducebatur. Inde Sodales omnes sumptis è suggesto, impositisque capiti coronis, ut erant coronati, è capsulâ scedulam singuli sortitò educebant; quâ scedulâ pœna cuique sponte subeunda continebatur: aut aliàs ad varietatem, sententia per hebdomadem mente versanda: cujusmodi istæ: *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat: aut: Ni modò pœniteat, semper pœnitebit. Nunc gratiæ tempus; post pœnæ.* Tum officium, ut vocant, plagarum Christi, cantu recitatum, quo peracto unusquisque certi delicti pœnam publicè exposcebat. Demum Vincentius de aliquo è

cruciatibus Christi verba faciebat, vel si ita loqui fas est, haustos ex eorum contemplatione sacros ignes jactabat in Sodalium pectora: quibus accensi longâ & acri flagellatione finem Congregationi imponebant. Namque dolor de cruciatibus ac morte Christi germanus non est, quem vindictæ cupiditas non sequitur.

Sodaliū  
laus

Incredibile porro dictu est, quantum hujusmodi industriæ lectissimæ illi nobilium coronæ ad virtutem profuerint. Exploratum habeo nonnullos ex iis religiosissima vita mortæque, aut æquasse, aut etiam superasse spectatæ virtutis Ascetas: eo laudabiliore exemplo, quòd in Cœnobiis, viâ planâ tritaque ad virtutem curritur; in sæculo, per prærupta ac salebrosa, obsistentibus haud paucis grassandum est. Sed hortatore pariterque adjutore Vincentio, cuncta hæc impedimenta, non tam moram, quàm fortitudinis ansam illis objecere. Certè id plerique omnes sibi gratulabantur, quòd fidei caræque tam sancti & industrii viri divino favore commissi essent; unde præsagiebant in Beatorum sortem sese propitio Numine adsciscendos. Proinde ad  
statos

stato Congregationis seu publicæ seu privatæ dies, cum sancta impatientia aspirabant, atque ut primùm illuxerant, gestire videbantur. Ex quibus omnibus percrebuit scilicet fama sanctimonix Vincentii. Adeo ut illustris quidam vir, juxtaque gravis ac sapiens, affirmarit, licet nihil aliud suppeteret ad laudem illius, quàm quod iis annis, quibus Sodalitatem rexit, palàm emicuit, affatim esse cur Sanctorum Catalogo inscribatur. Inter hæc tamen ita sibi ipse in eo munere non satisfaciebat, ut malè administrati religione perpetuò percelleretur. Enimverò se illi oppido imparem, seu naturæ facultates spectaret, seu gratiæ: quò itaque diutiùs administraret, eò plus detrimenti Sodalibus, sibi autem plus noxæ accessurum. Quocirca sæpè apud Moderatores institisset, ut robustioribus alterius humeris imponeretur, nî Confessarius obstitisset: qui insuper addebat illum ad ejus continuationem charitatis lege obstringi. Sed humili facilè recursant, graviusque incubant, semel iterumque depulsi noxæ timores. Quondam itaque cum audisset Episcopum quemdam ob neglectum

Et mira  
interim  
Patris  
d. mis-  
sio.

neglectum commissi sibi gregis, inferis cruciatibus adjudicatum, vultu mœrorem prætulit. Cùmque in animum altiùs descendisset, ducto ex medullis suspirio, se sibi metuere dixit, memorem rationis à se exigendæ de tot nobiles Equitibus curæ suæ ereditis, quorum singuli familiam, universi civitatem sanctam componere potuissent, si, ut idonei erant, eos ad sanctimoniam informasset. Aliàs quoque rogatus à quopiam è nostris, ut de vehementia affectûs, deque nimia mentis contentione, cùm in aliis exercitiis Sodalitatis, tum maximè in Congregatione secreta adhiberi à se solitis, nonnihil remitteret (alioqui enim futurum ut brevi oneri succumberet) *Id verò, ait, mihi in votis est, cùm alia ratione defungi eo munere non liceat, quàm si simul defungar vita. Quod si vel sic eo liberer, cui equidem ferendo non sum, Congregationi bonam sortem gratulabor, simul & mihi ipsi: illa enim labem à me Præside in dies maiorem, ego par salutis periculum eadem via evadam.* Longiusque proventus affirmabat, exoletum templi scoparium, insulsumvè paganum sese provinciæ isti aptiorem esse:

esse: Quamobrem si quid boni Deus per ipsum effici in Sodalitio vellet, miraculo opus habere. Adeo se suaque omnia æstimabat nihili. At quanti Deus faceret, abundè patefecit; quando illum ex ea præfectura, ad Generalem totius Societatis evexit.

## CAPUT VI.

*Societatis IESV Generalis  
renunciatur.*

**A**Dmodum R. P. Mutio Vitellesco Electio-  
nis vati-  
ciana  
post felicem per annos triginta Societatis universæ gubernationem, vivis erepto; coacti sunt de more singulis in provinciis Primorum Societatis Conventus: à quibus item singulis lecti Sacerdotes bini, virtute, iudicio, regendi que peritia præstantes, qui Romam cum Provinciali cujusque Provinciæ peterent; novo Societatis Præposito Generali creando. Inter hos cum à provincia Neapolitana ad iter  
Roma-  
num electus esset Vincentius, priusquam in iter se daret, cœlitus ac certò cognovit, nec se Neapolim rediturum, & Romæ paucis

paucis post annis obiturum. Idque oraculum pluribus patefecit, non modò arcanorum suorum conscis, sed aliis quoque; qui (ut fit) faustam profectiōem promptumque reditum ei precabantur. Quos hac formulâ excipiebat. *Vale, mi Pater, in mutuum in cælo congressum: mihi quidem è domicilio Romano brevior in cælum futura est via.* Apertiùs quoque aliis, qui quandonam inter se iterum viderent, sciscitabantur, *Nisi Romam (inquebat) veneris, ultimùm iam videmus.* Quo circa cum carissimum Equitum Sodalitium extremùm salvere iubens, constitutum animo haberet hæc dictis addere, se illos Deo opt. max. in reditum suum commendare; non potuit, ut fassus est postmodum, quantacumque vim sibi faceret, ultimum illud de reditu exprimere. Et verò sic omnia composuit, quasi Præfecturam illam resumpturus numquam. Quin & priùs quàm Patres ad electionem convenissent, quamque illius eligendi cuiquam forsitan venisset in mentem; non minus quàm si res peracta esset, sese ad iter, atque ad congregationem Generalem delectum iri certus erat. Quibus  
auditis,

auditis, simulque cum altissima illius demissione animi, horroreque gloriæ expensis, liquidò conficiebant aliqui, agi illum ad ea tam asseveranter enuncianda spiritu quodam plusquam humano, neque verò quæ diceret, observare. Ita quasi furtim humilium rectè facta laudésque ex ipforū ore Providentia Numinis nonnumquam elicit, ad exemplum cæterorum. Verumtamen de Generalis Magistratu, quem Superi illi destinabant, nihil dum Vincentius divinitus acceperat. Id dumtaxat ei exploratum, R. P. Franciscum Picolominæum aliquando ad eum provehendum. Quodam enim sibi intimo paucis ante electionem hebdomadis, cum eo agente, ac familiaritè quærente, an idem Picolominæus futurus esset Generalis, *Omnino, ait, sed minimè hac proxima electione.* Quod vaticinium quartus post annus confirmavit, quando Vincentio Generalatu ac vita defuncto substitutus est. Sed ipsam Carafæ Generalem Præfecturam, è cœlesti oraculo alii prænunciarunt. Sacerdos enim Montisleonis in Calabriâ, spectatæ virtutis, dum mane Deo supplicat, vocem cœlitus audit distinctè

ad Generalaturam

distinctè



stinctè nunciantem, Vincentium Carafam Societati universæ cum imperio imponendum: idque eodem ipso die, id est, 27. Decembris anni 1645. duobus & decem diebus priusquam electus est, Rectori Societatis JESU in eodem oppido, qui ei à confessionibus erat, significat sibi oraculo patefactum esse. Quamquam autem tunc quidem haud facilè illi creditum: tamen, cum eadem vox postero mane eidem rursus oranti exaudita esset, cum hoc additamento, minimè illum Sacerdotem (quod fortasse videbatur) falsum iri, fides adjuncta est. quam paucis post diebus eventus comprobavit.

Electio-  
nis mo-  
dus

Ceterum ad hanc electionem convenire è Provinciis Europæis tres & octoginta: accessere Japonicus, Malabarius, & Goanus Procuratores ex Oriente: Peruanus, Mexicanus, Noviregnius ex Occidente: omnes virtutibus variisque ingenii opibus eximii Vincentio ipso teste, qui in epistola ad amicum Neapolim scripta, *Sanè (inquit) interfui Sanctorum cœtui, & persensi veritatem illius effati: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Hæc autem est

est apud nos ratio Generalem deligendi. Quatriduo ante electionem ultro citro- que ab electoribus solis inquiritur de eorum, qui ad tantam Provinciam idonei videntur, dotibus regendi, ac potissimum de facultate vel conservandi, vel, si qua parte elanguisset, restituendi primævum Instituti florem. Hæc enim cura omnium maximè Patres sollicitat. Die ad eligendum destinato, omnes, quos penes est jus eligendi, liturgiæ Vicarii Societatis interfunt, eque illius manu Angelico Pane pascuntur: Nimirum, ut uno omnes Christi spiritu in Numinis obsequium hac electione conspirent. Post actas ritè gratias pro divino epulo, bini ad conventûs locum procedunt, ibique includuntur. Tum aliquis ex iis Orator momentum rei, qua de agendum est, breviter exponit. Sequitur omnium precatio de genibus per horæ spatium, in qua spirituum ponderatori Domino, electionem obnixissimè commendant; eoque arbitro secum agitant; cui potius è Dei gloria, reque Societatis publica suffragentur. Quibus peractis ad suffragia venit. Ergo Vincentius qui <sup>Electio</sup> toto sacrificii, synaxeos, ac suffragiorum

G                      tempore

tempore ubertim illacrymatus erat; sive studio virum deligendi qui tantam personam cum dignitate sustineret, sive præfugio ac metu tam infelicis (ut rebatur) sortis suæ, primo statim scrutinio quinquaginta duobus suffragiis universæ Societati Præfectus, continuoque ritè ac palam renunciatus est, 7. Jan. 1646.

Vincen-  
tii post  
electio-  
nem  
sensus

Quamquam autem non nescius esset, divino potiùs quàm humano consilio, rem totam transactam esse, atque adeo frustrare omnem cujuscumque inopiæ atque impotentia excusationem, tamen (ut cæca est humilitatis cupido se abjiciendi, æquè ac ambitionis attollendi, & utraque vi sua alumnos nonnumquam in transversa abripit) obtinere à se non potuit vir modestissimus, quin impositum sibi magistratum, quantum in se erat, abdicaret, Patresque communiter obtestaretur, ut in alterum ex tot se multò dignioribus transmittere sibi liceret: Verùm cum auditus non esset, humeros oneritandem supposuit. Id autem mirum, quod eum ex ante diem, qua die electus est, eò usque dum Præfecturæ acquievit, velut spissa caligine involutam mentem habuisset,

buisset, & tristitia squallentem, adeo ut  
 solatii impos sibi videretur; ipso admissæ  
 puncto deterfa caligine serenum rediit,  
 mœrorémque insueta pax animi excepit,  
 & Vincentius in alterum virum mutatus  
 est. Verùm uti ambitio semper timida est  
 infamiæ & depressionis, ita humilitas di-  
 gnitatis, ne salutis malè vertat, cui benè  
 gerendæ vires deesse opinatur. Id quod  
 in Vincentio liquet, ex ejus ad R. P. Caro-  
 lum Sangrium epistola, in qua illum jam  
 Generalis consulit, an salutis suæ, Socie-  
 tatisque bono dignitas hæc renuncianda  
 sibi sit, certus ejus consilium, promptus-  
 que in utramque partem exequi. Sic  
 illa. *Reverende in Christo Pater, pax Chri-* „  
*sti.* Tempus est ea cavendi, quæ mihi cir- „  
 ca mortem molestiam creare, & scrupu- „  
 los movere possint. Nuperrimè unum ex „  
 iis Reverentiæ Vestræ proposui, nunc „  
 alterum objicitur, quod ab illa, cui, ani- „  
 mus meus perspectus est, expediri cupio. „  
 Noverit itaque, haud satis mihi constare, „  
 quæ me habeam in hoc munere. Hinc „  
 enim iisdem difficultatibus curisque con- „  
 flictor (de quibus aliàs scripsi, dum de „  
 suscipiendis inferioribus muniis agebatur) „

„ quæ nunc intenduntur pro muneris su-  
 „ cepti magnitudine. Illinc autem volun-  
 „ tas intelligentiæ ac cognitioni tenuitatis  
 „ meæ haud se accommodat. Nam mens  
 „ quidem evidenter agnoscit, me tantæ  
 „ provinciæ imparem esse; sed ut voluntas  
 „ nunc constituta est, videor mihi recusa-  
 „ re illam nec recusare, admittere nec  
 „ admittere. Experior enim id me velle  
 „ quod nollem, quodque nolle deberem.  
 „ Et cum nihil hoc in officio obversetur,  
 „ seu naturale seu humanum, cur placeat,  
 „ solasque ex eo sentiam spinas; nihilomi-  
 „ nus tamen indubitatum mihi est, Deum  
 „ vires nequaquam sufficere, ut illud nolim  
 „ quod videor debere nolle. Accedit quod,  
 „ ne recusem, non exiguis divinæ volunta-  
 „ tis indiciis prohibeor. Primum jam inde  
 „ ab eo tempore, quo Congregatio Gene-  
 „ ralis per provincias indicta est, divinitus  
 „ cognovi, quamquam ignota causa, me  
 „ Româ Neapolim non esse reversurum.  
 „ Deinde vehementiùs incitari me sensi ad  
 „ orandum S. P. N. Ignatium (quod nec  
 „ sine lacrymis feci) ut in Generalem elige-  
 „ ret virum secundum cor suum & secundum  
 „ spiritum suum: quod studium me perpetuò  
 tenuit

tenuit ante electionem. Præterea inter  
 eligendum, cum ad alios adjicerem ani-  
 mum, ad meipsum vi quadam tacita re-  
 pellebar, & verò sine animi judicive pro-  
 pensione alteri suffragium addixi. Ad hæc  
 dum Generalis renunciatus fui, equidem  
 electioni efficaciter obsistere cupissem;  
 sed deerat animus. His adjice corporis  
 habitum ab electione immutatum in me-  
 lius, cæloque huic factum, cui antehac  
 assuescere non potui, sive cum Provincia  
 Neapolitanæ Procurator veni Romam,  
 sive cum curricula Theologici causâ, quòd  
 quidem incommodè per annum unicum  
 istic profectus, propter aduersum vale-  
 tudini cælum Romanum, Neapolim re-  
 ditum maturare coactus fui. Sed enim  
 quales quales hæ causæ, simul omnes  
 impares sunt seu detergendo pudori meo,  
 ex inopia facultatis ad hoc munus ne-  
 cessariæ, seu pacandæ conscientie ad il-  
 lud abdicandum sollicitanti, idque publi-  
 co Societatis bono. Quamquam neque  
 hæc ut abdicem, satis urget. His igitur  
 angustiis nunc premor: mihi certè videor  
 hoc in negotio laborare dubitatione par-  
 tim ea quam speculativam scholæ vöci-

„ tant, partim quam practicam. Illinc con-  
„ scientia rectæ mentis, intentionisve me  
„ convincit: hinc autem cum ad rem ve-  
„ nio, atque ad muneris tractationem, non  
„ ita moveor. Haud scio an animi mei tri-  
„ cas satis expedierim. Summatim peto à  
„ Reverentia Vestra, an propter ea, quæ  
„ exposui, quæque alia producere possum,  
„ censeat me obstringi ad provinciam hanc  
„ renunciandam: aut si minus obstringor,  
„ an saltem renunciationem ad majus Dei  
„ obsequium cessuram. Illam ex animo  
„ precor, semel ad aram faciat; obtinendæ  
„ per Sanctissimam Dei Genitricem hujus  
„ dubitationis solutioni, simulque volunta-  
„ tis filii ipsius ac S. P. N. Ignatii declara-  
„ tioni. Neque ego sententiæ vestræ minus  
„ quàm divino oraculo acquiescam: usque  
„ eo, ut confestim omnes super ea re scrupulos,  
„ quibus in morte angi queam, excussurus sim.  
„ Condonet mihi Reverentia  
„ Vestra omnem hunc superfluum laborem,  
„ quo illam onero; nec enim alius  
„ mihi quisquam est, quem super similibus  
„ difficultatibus consulam. Quod reliquum,  
„ SS. R. V. sacrificiis ac precibus me com-  
„ mendo. Romæ 7. Augusti 1648. Reve-  
„ rentiæ

VINCENTII CARAFÆ. Lib. I. 103  
rentiæ vestræ servus & filius in Christo, „  
Vincentius Carafa. Ad epistolæ calcem „  
hæc erant adscripta. *Ut prævertam „*  
*scrupulum, qui post Reverentiæ Vestræ „*  
respondum menti injici potest, mentio- „  
nem ipsa faciat omnium, quæ aliàs scri- „  
psi, de mea gubernandi imperitia, sive „  
quòd memoriæ, sive quòd sermonis, *sive „*  
*quòd alterius facultatis ingenitæ sum*  
*inops.* Hactenus Vincentius. unde pro-  
fectò emicat ille insitus humilitati metus  
dignitatis atque muneris, de quo superiùs,  
& insuper rara quædam Providentia Nu-  
minis in rem Societatis, dum potestatem  
illi quodammodo ademit dignitati Gene-  
ralis renunciandi. Quippe, cui occulta  
vi affixum se sentiret, neque ulla mentis  
contentione excutere illud à se vel co-  
gitando posset. Quem animi sui sensum  
aliàs nec sine prodigio alteri ostendit.  
Rem transcribo, ut est in testificatione  
jurejurando firmata ejus ipsius cui conti-  
git. *Cùm Neapoli gravi morbo laborarem,*  
*inquit, nocte quadam inter somnum sensi*  
*me proprio nomine appellari, & evigilans*  
*vidi Patrem Carafam: qui tunc ita me-*  
*cum: Versor in munere quod refugiebam.*



*Nollem hęc esse, neque istic. Deum pro me  
 precare: hęcque dicitis evanuit. Nocte id  
 accidit: Et postridie Vincentium creatum  
 esse Generalem Romę perlatum est, cümque  
 Pater quispiam id mihi nunciaturus ad-  
 venisse, eum occupans significavi mihi  
 esse cognitum, quod nunciatum veniret.  
 Sic ibi.*

Item  
 aliorum

Explicari autem non potest, quantum  
 sanctioris lætitię ex hac electione tam  
 sapienter sanctęque peracta ad omnes  
 permanarit. Societatis amici etiam cum  
 lacrymis gratulati sunt nobis, providen-  
 tię illius planę paternę acceptum divi-  
 nitus pignus; talem, inquam, Generalem,  
 cujus virtus exemplum optimum, pru-  
 dentia rectam administrationem, studium  
 solam divinam gloriam aucupandi, sin-  
 gularem cęlitus opem sponderent. Ipse  
 Summus Pontifex Innocentius X. cum  
 insigni testificatione lætitię amorisque,  
 recens electum Generalem, pedes ei de  
 more osculantem, seque ac Societatem  
 universam illius obsequiis devoventem,  
 fideique ac tutelę commendantem exce-  
 pit. Vincentio autem vixdum conclavi  
 egresso, P. Valętinum Mangionium, ipsius  
 cum

VINCENTII CARAFÆ. Lib. I. 105  
cum aliis comitem, ad se revocatum gra-  
tes agere toti Patrum cœtui iussit, quòd  
adeo idoneum Generalem elegissent. In-  
de nuncii de electione quaquaversum  
perlati, totam Societatem mixtis pietate  
gaudiis complevère, quæ & ad externos  
pertintière. E quibus minimè prætermi-  
tendus Reverendiss. Dominus Campagna,  
antehac Ordinis Minorum de Observan-  
tia Generalis, nunc Episcopus in Hispania;  
qui audita Mutii morte pronunciavit,  
tum demum manifestum fore, utrum vel  
Socii perfectionis studio, vel Deus præ-  
cipuo quodam in Socios amore tenere-  
tur. Si enim Vincentius in demortui lo-  
cum substitueretur, (vir utique sibi Nea-  
poli à Sanctimonia prudentiaque perbe-  
nè notus, eoque munere dignissimus)  
de neutro ambigi posse. Quod cum fa-  
ctum intellexisset, & mirificè lætatus est;  
& præclarè, si aliàs umquam, de Societa-  
te sensit. Sed principem hîc locum obti-  
nuit Serenissimus Volfangus Comes Pala-  
tinus Rheni, Juliæ Dux & Neoburgi, eo  
etiam nomine nobis colendus, quòd  
quinque Societatis Collegia in sua ditio-  
ne partim fundarit, partim tueatur;  
G 5            adeoque

Præser-  
tim Du-  
cis Neo-  
burgici

adeoque illam amplectatur, ut mortuo Augustissimo Cæsare Ferdinando II. affirmare non dubitarit, nemini jam se in amanda Societate JESU cedere. Neque verò Cæsari tam inæqualitate amoris, quàm Majestatis respectu primas in eo genere concessisse. Hic igitur cum Dussendorpii, ditionis suæ urbe, ultimo Januarii 1646. cum quibusdam proceribus mensæ accumberet, quidam ex his Aca- tholici promptis ex Hollandia variis nunciis (Gazetas, vocant) inter mensam recitarunt, Jesuitas in Generali deligendo tantopere inter se dissidere, ut Societas parum ab interitu ac dissolutione abesset. (Nimirum sic sunt hæretici, ut de rebus Jesuitarum non ut constant, sed ut vovent ipsi scribere ament) Serenissimus, etsi eorum ingenio probè cognito, parum fidei nuntiis adhiberet, quia tamen Societatis bonum habebat cordi, rem autem nondum compertam, aliquantum percussus est. Sed in tempore adfuit è Patri- bus aliquis, velut à bono Principis Genio accersitus, cum litteris novi Generalis, queis se totamque Societatem obsequio Celsitudinis suæ offerebat. Quæ litteræ  
adjecta

adjecta Patris narratione rerum in electione gestarum, ac nominatim, insolitæ in eligendæ animorum voluntatumque similitudinis, rarorumque novi Generalis decorum, non ingrata vice A catholicos mœrore, Ducemque lætitia perfuderunt. Hic verò in pedes exurgens, nudoque vertice (qui honos solis Imperatoribus ac Regibus exhibetur) faustitatem novi Generalis præbuit, quem & cæteri etiam hæretici, quamlibet ægris animis, secuti. Inde Dux Collegium adiit, atque in tesseram lætitiæ & congratulationis manum Patribus omnibus osculandam porrexit. Die autem postero solemni gratiarum carmini, Missæque musicè decantatis inrerfuit. Denique quatuor post diebus cum Martyrum nostrorum Japonensium festus dies ageretur, ipse comitantibus decem principalis sanguinis proceribus, triclinium nostrum ingressu dignatus, unà cum illis Patres nostros epulo excepit. Parentis lætitiã alacritas æquavit Principis Guilielmi Philippi, dignissimi filii tali patre filii, nec magis ejus ditionum, quàm amoris in Societatem hæredis. Qui audita Neoburgi Patris Carafæ ad Generalatum

Ejusque  
 filii

ralatum

ralatum promotione, præter cetera lætitiæ publicæ signa, tanto numero tormenta bellica explodi iussit, ut qui causam ignorabant, opinati sint, pacem de qua Monasterii tunc tractabatur, coitam esse.

& Neapolitanorum

Prolixior sim, si de aliis alibi editis lætitiæ publicæ argumentis sigillatim agam. Neapolitanam tamen urbem sine injuria transmittere nequeo. ut enim Vincentii dignitas, quippe Neapolitani, non vulgari illius gloriæ cedebat: ita se nobilissima hæc civitas in plausus & gratulationem pœnè effudit. quamquam lætitiæ nonnihil mœroris inspersum erat, quòd, ut aiebant, Sanctum suum non essent ampliùs recepturi. Compluribus locis actæ Numini publico nomine gratiæ cum symphonia musica excellenti. Nec paucæ familiæ Religiosæ, quod adhuc nunquam fecerant, quasi privatum Societatis bonum, commune illis esset, festivos sonos ære campano dedere. Verùm reliquis antecelluit hoc in genere, ut par erat, Sodalitas nobilium Equitum, utpote amantissimi parentis amantissima proles atque officiosa. E ceteris eorum insignibus

sanè

fanè grati animi, amorisque in Vincen-  
tium notis, id unum seligo, quod illi fuit  
acceptissimum. Equitum singuli sigilla-  
tim ac scripto ei obtulère quædam pieta-  
tis officia à singulis in ejus gratiam præ-  
standa; singulari Numinis gratiæ ad So-  
cietatis regimen obtinendæ. Litterarum  
fasciculus in meas manus venit, conti-  
netque sacrificiorum complura millia,  
item bono numero synaxes, flagellatio-  
nes, jejunia, stipem liberalem; Nosoco-  
miorum aditiones, & famulares in eis  
operas: officia præterea, corollasque Vir-  
gineas, & ejusmodi: ut crederes vel à reli-  
giosis tironibus dona hæc profecta, vel  
Equitum Sodalitatem, Vincentii operâ,  
evalisse in familiam religiosam. Certè  
tam pia nobilitas germana primaque no-  
bilitas est: quippe quæ in aula Regis su-  
premi primos gradus mereatur. Vincen-  
tius quidem tanti hæc sacra munera fe-  
cit, ut scriptorum archetypum apud se  
custodiret; non tam solatii causâ ex re-  
cordatione tam egregiorum capitum  
subinde capiendi, quam ut in diffici-  
lioribus negotiis coram Deo expande-  
ret, aptissima utique ad conciliandam  
ejus

ejus

ejus gratiam, lucemque cælestem instrumenta.

---

C A P U T VII.

*Quam regendi rationem sequeretur Vincentius.*

Societatis præfecturæ, & cruce

**S**Ocietatis JESU præfecturæ, Vincentii judicio, non nisi cruce sunt, eæque Christi cruce haud absimiles. speciosos quidem titulos præferunt: at simul spinas Præfectorum verticibus imprimunt. Et illi profectò solam boni speciem habent, non fructum ferunt ullum: hæ autem nimis ex vero crudeliterque pungunt, nec inanis honor aut plagis medetur aut dolori. Quisquis igitur seipsum edomare ac vincere studet, oblatas regiminis curas, eo quidem authore, minimè subterfugiet, sed modestè admissas leniter feret. Enimverò religiosorum cœtuum magistratus, si rectè administrantur, propiùs ad ministeria accedere quàm ad magistraria: primatus virtute potius, quàm auctoritate constare: imperia exemplis magis, quàm præceptis firmari: eorum denique

denique Præsidibus adeo non licere immunitibus esse, ut lex gravissima imposita sit, omnibus ut sint omnia: totque habeant corda (si ita loqui fas est) quot subjectos; totque indoles, quot ipsi genios diversos. Quæ omnes Ecclesiastici ac Religiosi regiminis leges fusè à Gregorio Theologo descriptæ, à Vincentio studiosè observatæ sunt; ut ex hoc & tribus sequentibus capitibus planum fiet.

Igitur Vincentius propè per omnes inferiorum Magistratum gradus, ad supremum Generalis conscendit. Nam Magister Novitiorum, Rector Collegii Neapolitani, Præpositus Domus Professæ tertium, ac denique Neapolitanus Provincialis extitit. Et nisi Porcia, minervini Princeps, eademque Vincentii soror, ejus opera & monitis ad piissimum vitæ genus traducta, in quo jam à viginti annis procul à sæculi inaniis se exercet, apud Societatis Præsides intercessisset efficacissimis Principum precibus, ne Neapoli emoveretur, etiam Rectorem Collegii Romani, & Provinciam Siciliae egisset. huic siquidem muneri destinatus & auctoritatis litteris (quas patentes vocamus)

Per eas propè omnes proventus constitutionibus semper inhaerebat.

à



à Mutio Vitellesco Societatis Generali  
 jam instructus erat. Omne porro illud  
 regimen ad Constitutiones S.P.N. Ignatii,  
 & prudentiæ placita composuit. Ille leges  
 regendi, hæc rationem iis utendi præscri-  
 bebat. Atque adeo regente Vincentio  
 Ignatius adhuc præerat, ipse autem, stre-  
 nuus ejus administer, ejusdem legum  
 usum urgebat. Non ergo umquam ex  
 moris instituti que politici normâ (qua  
 peste nulla ad florentissimi cujusque Or-  
 dinis Religiosi tabem ac labem præsen-  
 tior) non ex respectibus humanis, non  
 alia parum probabili arte sibi subjectos  
 rexit. Unicam Numinis gloriam, eorûm-  
 que salutem ac processum in virtutibus  
 in gubernando spectabat : quem finem  
 Sanctissimus noster Conditor Societati  
 proponit. Hinc causas ducebat omnes  
 concedendi quidpiam aut negandi, pro-  
 movendi aliquem aut deprimendi, corri-  
 piendi aut laudandi, leniùs aut asperiùs  
 habendi. Et quod quidem attinet ad  
 exemptiones à communi legum observa-  
 tione, vehementer ab iis semper abhor-  
 ruit; quòd diceret, ut res est, conditas  
 esse ut observentur : facili que unius  
 alteriusve

non fa-  
 cile  
 quem-  
 piam iis  
 aut aliis  
 legibus  
 eximēs

alteriusve ab iis absolute viam sterni ad communem violationem. Quippe numquam defore, qui privati commodi causâ, ea postulent, quæ solius necessitatis, prioribus permiffa sunt. Hæc verò si concedas, institutum Religiosum, quod legibus velut nervis astringitur ac viget, dissolvitur; si recuses, nihilominus, turbatur. Inter leges à Generalibus toti Societati præscriptas, hæc est, ut nemo Nostrorum Horologium rotatum suos in usus habeat, utpote ob illius pretium Societatis paupertati religiosæ parum congruum. Fuere è Provincialibus Aquilonaribus, qui solvi eâ lege peterent, gubernationis saltem, aut inspectionis Collegiorum tempore. Cùm enim ea subinde plurium dierum spatio diffita sint, ideoque, dum adeuntur, nonnumquam in desertis locis aut sylvis sit pernoctandum, Horologiis illis aiebant opus se habere, quò & tempus itineris metiri, & in illo se regere possent. Qui tamen à Vincentio tulere repulsam. Etenim pauperes nos esse, neque pauperibus in more positum, ut horologiis tam pretiosis per iter utantur: quin verè pauperibus, quales

H

nos

nos esse decet, deesse multa non modò naturæ commoda, sed & necessaria. Fortiùs etiam egit cum infelice quodam transfuga, qui cùm nescio qua dignitate, quam spe ac studio præceperat, exclusum se vidisset, à Societate defecit, abjectoque habitu religioso eò asyli confûgit, unde authoritate nostra extrahi nequiret. Cùm verò vel redire ultro ad Societatem, vel ascribi alteri religiosæ familiæ illum oporteret (quatuor enim vota ritè Deo nuncupaverat) Vincentium facultatem rogavit, ad unum è militaribus ordinibus transeundi: cui ipse super hoc postulato in hunc modum rescripsit. *Tertium caput est, quod eius generis venia ne uni quidem umquam à sæculo concessa sit: absit igitur, ut ego illi aliàs concedendæ viam aperiam. Quamobrem pro explorato habeat Reverentia vestra, numquam à me extorturam, ut se in Ordinem militarem, aliúmve, in quo disciplina religiosa non observatur, missione meâ transcribat. Certè non inani religione tentarer, si hanc portam in Societate panderem. Ita ipse. Qui multò impensius cavit, ne portas illas, quas S. P. N. Ignatius, Spiritûs sancti afflatu & ope,*

ope, sua ipsius manu clausit, referaret: qualis illa, quâ excluditur Societate libertas omnis admittendi Ecclesiastici primatûs, qualiscumque ex ejus gestione spes cultûs divini, salutisque animarum affulgeat. Ita cum ab aliquo è primis Europæ Regibus postulatum esset, ut nominationi unius è Nostris in Episcopum Canadensem acquiesceret, numquam eò adduci potuit. Quamquam Canada regio est Americæ Septentrionalis, una omnium incultissima pariter & inhumanissima; ex qua nulli alii census sperari possint, quàm incommodorum, ærumnarumque ingentium, mortisque deinde violentæ ac crudelissimæ: (quali morte tres è Nostris Sacerdotes novissimè extinctos, hæc me scribente, nunciatur) quamquam etiam RR. PP. Assistentium postulatis annuendum videretur. Cæterum hanc mihi curam commisit, ut in commentariis rerum nostrarum perquirerem, qua se ratione gessisset Ignatius, dum R. P. Nunnus Barettus in Patriarcham Æthiopiæ assumptus est: quæ ratio ex iis quæ in vita S. illius Parentis retuli, sat liquet, itemque ex decimæ partis Con-

Et dignitates Ecclesiasticas etiam molestas Societate excludens

stitutionum explanatione, nempe non aliter, quam præciso Summi Pontificis imperio adactum id concessisse. Quo comperto certus recusare quod postulabatur, de tota re R. P. Galliæ Assistentem cum monuisset, adjecit duas in Societate esse portas, quarum si altera semper aperta maneat, & altera semper clausa, primævum illius spiritum semper conservandum. & priorem quidem amittendis jugi religiosi impatientibus, atque adeo legum violationi Societate excludendæ struetam; posteriorem verò dignitatibus Ecclesiasticis, pariterque ambitioni arcendæ. Ita ipse rectè: nam Reipubl. anima, legum observatio est; pestis, ambitio. Illa etiam infirma membra confirmat: hæc præcipua quæque corrumpit.

abdica-  
ro o-  
mni pri-  
vato af-  
fectu

Porro ejusdem S. Parentis nostri decretis ac constitutionibus constanter inhærens, nec alio, quam ejus spiritu agi se patiens, numquam in muneris administratione privatæ in aliquos benevolentia tribuit quidquam, numquam proprii commodi rationibus, nedum violentæ cuiquam turbulentioris animi affectioni. Non inquam, in quopiam ad Magistratus evehendo,

evehendo, vel aliorum in sese, vel suum in  
 alios amorem spectavit; ratus quod res est,  
 ex publico illo communiq̄ue munerum &  
 magistratuum velut fundo, meritis omnia  
 deberi; & quantum benevolentia aliquo-  
 rum daretur, tantum aliorum juri detra-  
 hi. Adde non modò cœcum, sed & infame  
 obtrectationibus regimen, ubi gratiosi  
 regnant. Neque verò virtuti locum esse,  
 ubi gratia pluris fit. Quamobrem nequē  
 ullum utcumque sibi parum benevo-  
 lum infra jacere sivit, quem merita ac  
 virtus altiùs propellerent: ut nemo jure  
 metuere potuerit, ne velut ab aspectu, &  
 è numero promovendorum sepositus la-  
 teret, quem spiritus primùm religiosi  
 pectoris, tum ingenita facultates, memo-  
 riâ & provinciâ aliquâ dignum redderent.  
 Quæ res eò admirabilior, quòd homini  
 plenissimo jure, summoque cum imperio  
 ei Reipublicæ præsidenti, in qua tot sunt  
 eximii viri muniis meritò pares, & nu-  
 mero longè superiores, promptissimum  
 esset nonnullorum fructuosam benevo-  
 lentiam colligere, tamquam in honestum  
 censum supremi Magistratus. Sed ut  
 cetera abessent, rem benè æstimanti,

damnosissimus est quæstus benevolentia mortaliū, etiam omnium, si cum minimo divini amoris aut gloriae detrimento conjunctus sit. Quod si quis iis dotibus esset instructus, quæ plus habent elegantia, quàm momenti ad regimen religiosum (quales sunt nobilitas non vulgaris, præstantia ingenii doctrinae, & speciosa quædam ratio civilitatis, atque hujusmodi, quæ vulgus in pretio habet) ipse, si exortes virtutis essent, vix pluris nihilo faciebat, dicere solitus in familiis religiosis non aliter de hominibus ad regendum admovendis judicandum, quàm militiæ de gladiis ad præliandum. Quemadmodum enim nihil militem juvet, dum conferendæ sunt manus, quòd capulus gladii aureus sit, si gladius ipse plumbeus; ita non decora illa, siquidem sola sint: sed insitas ad gubernandum facultates, quæ rem conficiant, in deligendis Rectoribus spectandas esse.

Et hu-  
mano  
metu

Denique liber erat Vincentius in Societatis procuratione, ab humana quadam formidine, quam plerique è lycæo mundi sapientes prudentiæ partum falsò autumant, rectiùs dicerent inconstantis motum

tum

tum animi parumque Deo fidentis. Neque enim se umquam eò adduci passus est, ut magnatum voluntati minus probabili cederet, dum animi dumtaxat gratiâ, aut certè levi de causa, rem aliquam non levi religiosæ disciplinæ dispendio, famæque jacturæ obnoxiam instanter petunt. Fac enim accidere, quod sæpè, ut si eorum votis non obsequare (vetante scilicet Numinis offendendi metu, & boni publici respectu) justissimam repulsam contemptum sui interpretaturi sint, eosque à quibus tulère, deinceps, invisos habituri: tamen minimè purgandos apud Supremum Judicem, Præsidentemque Præsidentem eos, qui probrosæ suæ indulgentiæ postulata Principum obtendant: parum enim referre portane civili, ut aiebat, an verò rustica res offensionis plenas in religiosam familiam inducas; id est, an Principum virorum gratiâ, an verò vulgarium, offensionem crees. Et si in negotio aliquo simul Numini, simul homini satisfacere nequeas, certè nefas esse infra homines Deum haberi: qui homines, si æquitatis amantes fuerint; non modò disciplinæ religiosæ, haud gravatè



Impru-  
dentiq;  
pietate

laturos voluntatem divinam suæ præferri, quamquam non sine molestia sua, atque incommodo: sin ab æquitate atque ratione abhorrebunt, indignum planè esse, Deum abs te negligi, ut ab iis gratiam ineas. Quæ placita maximè sequebatur, quando cum Nostris negotium erat. Neque verò ea pietas, quæ S. Ignatio jure dicta, *imprudens*, eum ab instituenda è Constitutionum præscripto Societate vel latum unguem unquam abduxit. Cujus constantiæ ne multa exempla congeram, Epistolæ ad quemdam Superiorem ab eo exaratae partem trāscribo. R. P. nostrum  
 „ est optimæ matri Societati pro virili ad-  
 „ esse. Posteaquam Præpositus Domus Pro-  
 „ fessæ rei statum te docuerit, eaque Do-  
 „ mino Deo vehementer commendatâ,  
 „ omnem facultatis atque industriæ tuæ  
 „ confidentiam animo excluseris, rem sua-  
 „ viter æquè & fortiter age. Præ oculis sit  
 „ major Dei cultus, Societatis bonum, pro-  
 „ ximi exemplum, conscientiæ obligatio,  
 „ & Sanctitatis suæ imperium. Si, quod in  
 „ votis est, à nobis obtinebitur; quod fas est,  
 „ fiet, & placidè: sin autem negabitur,  
 „ fiet itidem quod opus erit, tametsi non  
 „ fine

sine molestia, quæ interim sedato animo „  
 toleranda erit, ne major existat ex no- „  
 stra cum voluntate divina discrepantia, „  
 & stimulo conscientiæ. Summâ eniten- „  
 dum, ut impunitatis spes, utique Ordi- „  
 num religiosorum lethale toxicum, pro- „  
 cul *Societate arceatur*. Ita ipse, & in hoc  
 & in ceteris negotiis religiosâ planè for-  
 titudine. Quam quidem non nescio vi-  
 sam nonnullis propius, quàm par esset, à  
 severitate abesse. Sic enim usuvenit in  
 amplis cœtibus, ut non omnium sincera  
 sint iudicia, propter afflatum quendam  
 pravarum affectionum, quo fit ut aliqui  
 id dumtaxat probent, quod sibi commo-  
 dum; & æquè quod incommodum est,  
 improbent. Nec defuere, qui animo mi-  
 nimè malo, religiosaque modestia, Vin-  
 centium per litteras obtestarentur, de  
 severâ regiminis ratione tantillum ut re-  
 mitteret: epimverò Præsides Societatis  
 sese bonas matres erga subjectos præbere  
 oportere. At ipse inter eas legendas, Non  
 matres, subjecit, sed patres: quasi dice-  
 ret, non molli, parumque ad prudentiæ  
 charitatisque leges conformata suavita-  
 te utendum illis esse, ut malint eos

contentos vivere quàm probos, sed virili robustoque amore, qui modò meliores efficiat, parum pensi habet, si mœrore afficiat; *Idquæ ad horam*, ut ait Apostolus, *& secundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiantur.* Certè non solent mollia medicamenta ægris multum prodesse.

Adhibi-  
tâ infi-  
gni pro-  
viden-  
tiâ

Porro quod attinet ad prudentiam, quam diximus alterum fuisse illud, ad cuius normam Vincentius regimen suum exigebat; non semel aliquos ex Assistentibus audiui (sic eos nominamus, qui Generali sunt à consiliis) cùm eum inde commendarent, quòd in consultationibus sententiam ut plurimum diceret omnium probabilissimam: deinde quòd frequenter illi ex tempore occurrissent, quæ ab ipsis post longam indaginem deprehendi non potuerant: præterea evenisse interdum ut in negotiis intricatis & peregrinis, mirâ quadam solertiâ, causæ viscera certiùs altiusque pervaderet, quàm qui ex incolis ac præsentibus solertissimi. Et exitus confirmabat, Vincentii iudicium unum omnium, opportunissimum fuisse. Quæ mentis perspicacitas potissimum

mum emicuit in rebus, responsisque ad viros Principes ita componendis, ut neuter contraria simul postulantium posset meritò offendi. Qua de re nihil amplius hoc loco dicere habeo. Præterea, quoniam personarum, rerum, ac locorum peculiaris notitia, ad rectum de iis iudicium non utilis tantum, sed necessaria est; mirum dictu, quotuplice industria, quantoque labore eam sibi compararit. Testes sunt, præter cætera, libri non pauci ab eo, memoriæ causâ, manu sua exarati, tantillo tempore, quo uniuersæ Societati præfuit. In iis, velut in epitomen redactum vides jus civile instituti nostri, quidve nobis fas aut nefas, sive ex consuetudine veteri, sive ex Pontificum diplomatibus, sicut periti exposuere. Observatur etiam Provinciarum Europæ, & utriusque Indiæ status. Conditiones item cuique gradui propriæ, seu Præsidium seu subiectorum, aliæque etiam minutâ; sed ad regiminis velut horologii tractationem idoneam minorum, velut rotularum, non exigua cura sit necesse est. Huic studio statum quot diebus temporis spatium dabat: itaque aptior ad regendam  
in

in dies evadebat. Neque enim egregii Rerumpublicarum Rectores nascuntur, sed fiunt usu & industriâ magistris. Et parum æqui hominis sit, arbitrari novellum Generalem, familiæ impositum perquam multiplici ac frequenti, ab ipso magistratûs primordio æquè peritum gubernandi esse debere, atque alium, qui viginti aut triginta annorum gubernatione industriam acuerit; illiusque initia cum hujus fine componere. Ars enim regendi regendo discitur: & experientia ejus magistra uti non nisi fluxu temporis gignitur; ita crescit observatione rationum agendi & eventuum, non adversorum minus quàm secundorum. & impigisse, offendisseque, cautioni est.

Maximè è  
cælo  
petita;

Ceterum quantumlibet Vincentius iudicio & peritiâ valeret, numquam tamen iis solis niti ausus est; nec verò solâ Patrum Assistentium, quam tamen semper maximi fecit, sapientiâ, (quippe hominum in consilii sui partem à Societate tota delectorum) sed diviniorem è cælo accersendam ducebat. Noverat enim prudentiam humanam iis, qui publica negotia gerunt, pernecessariam quidem esse: nunquam

nūquam tamen ab erroris periculo, subinde nec ab errore immunem: atque adeo ad divinæ Sapientiæ regulam identidem corrigendam: scilicet horologio-  
rum quoque sonantium ritu, quæ ut peritissima manu conformata directaque, sæpè tamen ad solis cursum ab errore revocanda sunt. Quare quemadmodum S. P. N. Ignatius, licèt è prudentissimis ævi sui, nūquam de re alicujus ponderis decretorium judicium ferebat, nisi consultationem somnus excepisset, id est, ex illius mente, nisi rem iterum, idque ad radios lucis æternæ inspexisset: sic & Vincentius, cujus utique menti semper ille, ut virtutis prototypon, obversabatur. Placita itaque omnia priusquam rata esse vellet, inter precandum Deo proposita, commendabat enixiùs, ut ad gloriam suam dirigeret, faustisque successibus prosequeretur. Hæc vera causa quotidiani illius ad sacram cellulam secessus, certis ac statis horis, quamdiu familiam duxit; non verò ut deliciis animi plusculum indulgeret, aut negotium suum cum Orbis Arbitro ageret. Neque enim tanto in munere, tamque ingentium numero  
&

& magnitudine operum supremâ præfe-  
cturâ, se suum esse rebatur, sed totum  
Societatis, qui admissa Sodalitii Nobilium  
Equitum procuratione, ut ante retuli,  
ex animo dicebat, nihil sibi deinceps  
præter Deum & Sodalitium in oculis fo-  
re. Nam gloriam Numinis unicè spe-  
ctanti eò gravior cura incessit, quò major  
illius quæstus aut jactura in ambiguo sunt.  
Et cùm temeritatem quandoque prudenti-  
tiâ fortunatiorem esse intelligeret, ad  
eum crebro confugiebat, à quo faustitas  
omnis, velut è fonte fluit. Erat porro  
frequentior ille recursus casibus adversis,  
ac periculosis temporibus, ubi prudentia  
humana penitus hærente animus magis  
fluctuat. Et sanè Deus, cui se Societa-  
témque medullitùs commendabat com-  
mittebátque, opportuna consilia mirum  
in modum dabat. Nec enim rarò accidit,  
ut statim ab oratione Scribam, qui sibi à  
secretis erat, vocatum, juberet ad eos,  
quorum intererat ea scribere quæ con-  
sulto precibus Numine didicerat, fue-  
rântque post consultationem Patrum As-  
sistentium in ancipiti relicta. Atque hæc  
ipsa est frequens cum Deo negotiorum  
commu-

communicatio, quam tantopere in Generali expetebat S. Ignatius; nimirum ut ex conscio futuri æquè ac præsentis aliquatenus præcipiatur, quid è majore Numinis gloria, ac re Societatis futurum sit. Patet hoc Beati Patris votum ex 9. Constitutionum parte, ubi inter decora, quæ Generalis Electores exquirere in diligendo debent; hoc potissimum statuit: *Omniùm prima*, inquit, *hæc est, ut cum Deo ac Domino nostro quàm maximè coniunctus, & familiaris, tam in oratione, quàm in omnibus suis affectionibus sit: ut & uberius ab ipso, ut boni totius fonte, universo corpori totius Societatis abundantem eius participationem, ac multum valoris & efficaciam, omnibus illis rationibus, quibus ad animarum salutem utetur, impetret.* Hæc Ignatius. Ut autem noster hic optimus Generalis opportuniùs ac certiùs Deum sibi demereretur, ex iis quos Societas cælo inseruit, modò hunc, modò illum, patronos adhibebat, oblati ad eorum cultum non paucis sacrificiis ex illorum numero, quæ singuli Societatis Sacerdotes singulis hebdomadis faciunt ad eum finem, qui Generali cumque placuerit,

placuerit,



placuerit. Denique numquam litteris ullis chirographum adscribebat, quin S. Vincentio, sibi utique cognomini & Patrono, negotium iis contentum commendaret.

---

C A P U T VIII.

*Vincentii fortitudo, studiumq;  
disciplina religiosa.*

**E**Xposita Sancti nostri Generalis constantiâ, legislatoris constitutiones in omni regimine intuentis, ejusque prudentiâ singulari, (quæ duo in omnes partes rectæ gubernationis pertinent) descendimus, hoc & sequenti capite, ad eas virtutes, quibus velut instrumentis proximis, atque ad illam imprimis necessariis usus est. Quarum prior, fortitudo animi lenitate mixta; posterior, lenitas mixta fortitudine. Namque alteram ab altera si prorsus sejunxeris, continuo ex virtutibus vitia fient, illâ in asperitatem, hac in ignaviam degenerente. De priorre igitur ut prius agamus: Sicuti Vincentii supremus magistratus non fuit aliud, quam

Fortitudo illius  
adversus ho-

quàm honorata siquidem, sed mera servi-  
 tus Numinis, Societatis instituto propria, ita quidquid ad illam spectabat, utcum-  
 que arduum, summa animi contentione effectum dabat. Nec deesse poterant illi  
 tantam provinciam tractanti, fortitudinis probandæ occasiones, neque illis ipse.  
 Acerrima illius pugna pro bono Societa-  
 tis nomine, rebusque instituti nostri fuit, eaque partim adversus externos, partim  
 etiam adversus domesticos. Quemad-  
 modum enim in vasto ac fertili agro no-  
 xiæ herbæ furtim nascuntur, ac deinde  
 propalam caput exerunt, quas necesse  
 est in tempore extirpari: sic in Societate  
 per universum Orbem terrarum diffusâ,  
 frequentissimâque, abesse non potest in  
 tantâ naturæ humanæ pravitate, quin  
 subinde inter bonos nonnulli latitent ma-  
 li, & cùm occasio tulerit, superbum ver-  
 ticem attollant: quos cùm diu frustra que  
 corrigere studueris, velut stirpitis evulsos  
 foras projici oporteat. In his celebres  
 fuere tres, animis & errore juncti; eò pe-  
 riculosiore, quòd sibi divinitùs illustrati  
 viderentur: quibus denique Societatem  
 liberare Vincentius coactus est. Iis spiritus  
 I nescio

stes So-  
 cietatis  
 dome-  
 sticos

nescio quis, certè quidamater, non modò peregrinus, fœdè imposuerat, ut neglectis sanctissimis Instituti (quod addito etiam quarto voto professi erant) legibus, suis ipsi ad perfectionem tendere, aliosque, si fors daret, ducere vellent. Accedebat morositati peryicacia, Potentum fulta authoritate, eò quæsita, ut suavi salutarique poenæ se subtraherent. Cùm igitur iis emendandis omnes lenitatis rationes frustrà periclitatus esset, tandem fortiter omnes adegit, ut cum suis commentisne perfectioris vitæ an deliramentis è Societate facefferent. Fuit præterea quispiam, quem tanquam insito in Societatem odio & per nequitiam corroborato delectabat, clandestinis scriptis ad illius ludibrium, criminationemque compositis, eam lacerare. Et quasi in matrem amantissimam satis impius per se esse nequiret, externos, æquè malevoli acerbique ingenii homines, ad idem impulerat. Ita illius curas & tanquam puerperii lactationisque labores degener ac spurius compensabat. Hunc cùm certis vestigiis Vincentius deprehendisset; primùm probè convicit sceleris, tum evulsum è Collegio,

legio, ubi firmissimas radices egisse videbatur, exportari in aliud iussit, ubi eas dedit pœnas, quibus terreri queant, si quos forsan eadem rabies sollicitabit. Quoniam autem ejusmodi refractarii, Magnatum quorundam potentiâ & auctoritate ad præsidium & impunitatem provinciæ nitebantur, Vincentio frequens erat tutumque ad pedes Summi Pontificis Innocentii X. perfugium. Qui quòd exploratâ haberet rectissimam Generalis nostri mentem omnis sinistri de aliis judicii, pravæque affectionis expertem, nec non insigni prudentiâ præditam, nimirum non modò illum benignè audiebat ut communis omnium Religiosorum Ordinum Pater; sed, ut est revera ex S. Ignatii voto, & maximâ suâ voluntate, proprium Societatis *Protectorem* ei se præbebat. Usque eò ut Vincentii in se fiduciam, & ejusmodi tutelam sibi acceptam esse testatus sit, non sine S. Fundatoris nostri laude, quod in Summorum Pontificum clientela Societatem esse voluerit.

Neque admodum mirum est, Pontificem ei singulariter adversus domesticos

I 2

Instituti

Et adversus  
exter-  
nos

instituti nostri hostes adfuisse, cùm Deus prodigiosam manum contra externos commodarit. Potentissimus quidam Prorex falsis delationibus imbutus, pertinaciter obsistebat, ne Regno cui præerat, pedem inferret quidam è nostris, ad lustranda illius Collegia à Vincentio missus. Diluit per litteras Proregis suspicionem vir Sanctus, instititque abs eo summississimis precibus, ut Visitatori fungi officio liceret: addidit avertendis obtrectatorum calumniis, quæ fortè timeri possent, effecturum se ut bona cum Regis venia res conficeretur. Sed frustrà omnia. Cùm igitur conatus humanos in irritum cadere vidit, ad Deum confugit, ut cor illius Dynastæ emolliret, cui cor Regis & Principum in manu est. Cumque re cum ipso humillimè communicata, annuere sibi Numen, Sanctum Ignatium rem cordi habere persensisset, scriptis ad quemdam è Patribus nostris in ea urbe degentem, ubi Prorex erat, litteris, hæc mandata dat. Vincentii nomine Proregi renuntiet conceptis verbis: Rationem hanc ingrendi sese Societatis regimini, illudque perturbandi oppidò displicere S. P. N. Ignatio:

Ignatio:

Ignatio: augurari Proregem pœnas daturum injuriæ hujus, atque ad majus Religiosæ familiæ bonum, inhibendum ab eo, quem ponebat, obice. Ita scripsit, minasque pœna non plumbeo pede secuta est. Prorex namque subitâ feбри correptus est, simulque haud levi timore mortis. Sed qui febrim immiserat, etiam ejus remedium menti ægrotantis suggestit. Dum enim hunc Pater ille solatii & officii causâ adiret, sine mora admittus in conclave, hisque exceptus est verbis. Scribat Reverentia vestra, R. P. Generali, ipsum mihi S. Francisci Xaverii instar esse. Tum præ nimio è feбри dolore, in aliud latus se convertens, Patrem spondæ insidere jussum, ultro voluit scribere ad Vincentium, mitteret Visitatorem in illud Regnum, quandocumque luberet. Quod & ab eo Patre præstitum. Cumque ille adventaret, misit Prorex, qui sua ipsius triremi exceptum, in regnum introduce-ret. Ne autem cuiquam dubium esset, morbû eò dumtaxat eum invasisse, quòd Inspectorem Regno pertinaciter excluderet; ut primùm litteræ liberi illius in regnum ingressûs expeditæ, & ipse Prorex

morbo expeditus est. Deinde Vincentii operâ precibusque febrim immiffam fuiffe, ex eo ipfo perfpicuè cognitum est. Nam respondens illi Patri, à quo de tota re certior factus erat, fidenter, ut amico intimo ita fcribit. *Atque ut arcanum aliquid Reverentiæ Vestræ soli pandam, quod attinet ad Proregis ægrotationem, illam petii à Domino, ex toto, sed nunc non requiram.* Porro Vincentium exinde Prorex tanta reverentia profecutus est, ut nunquam nisi sanctum appellaret. Adeo nimirum ratum hîc fuit tritum vulgi ore proverbium, tum demum sanctis credendum patrant miracula.

Vincen-  
tii stu-  
dium  
religio-  
sæ disci-  
plinæ

Venio nunc ad ardens illius constans-  
que studium religiosæ disciplinæ, quod &  
fortis animi est, & primùm in Societatis  
nostræ paupertate (quam S. Ignatio au-  
thore fortissimum Religiosi Ordinis mu-  
rum appello) numeris omnibus absolven-  
da eluxit. Itaque ut vitio illi contrario  
(quod proprietatem Ascetæ vocant) adi-  
tum omnino obstrueret, etiam pietatis  
instrumentis, ut lipsanothecis, iconibus  
sacris, & ejusmodi, si quæ pretiosa essent,  
nostros privatim uti vetuit. Nam in  
pretio

pretio ornatuque talium rerum, proprii amoris lenocinium inest. Deinde sententiis de pecuniarum usu apud Religiosos permissio laxioribus, quamvis quibusdam bonæ notæ Theologis receptæ sint, prorsus interdixit. Quidquid item speciem habet negotiationis profanæ, mercatusve, Collegiis nostris exclusit, quæcumque rei familiaris necessitas utilibus pactis obtenderetur. Jam alienissimus erat à parvis Collegiis admittendis. Ut enim in exiguo foco ignem, sic in pusillo hominum numero religionis ardorem difficile foveri: collegia ejusmodi propter oppidorum infrequentiam, cum otio abundant, seminaria vocari posse Nostrorum inertia: denique necesse esse in illis per quandam epiicheiam connivere laxationi legum, solutionive disciplina: quoniam solitudo ipsa hominibus eam ex instituto non profitentibus pro rigida disciplina esse solet, & locus nonnullis pro exilio. Quocirca dum Provinciæ Neapolitanæ præfuit, non pauca istiusmodi recusavit: nimirum quæ oppida Fundi, Venafrum, Ortona, Stibium, Rosfanum, haud frigidè petebant: quæ



universa ampliùs bis centena millia ducatorum ad eorum foundationem obtulere. Neque unquam persuaderi illi potuit, ut Residentiam Paulensem in Collegium mutaret. Quin & conatus est erectum Monopoli Collegiolum solvere. Quamquam non commisit, ut in illis oppidis collegiorum opportunitates ad animarum salutem desiderarentur. Quippe certis ac commodis anni temporibus ferventes ac validos è nostris operarios eò destinabat : maximo populorum emolumento , nullo Societatis dispendio : at compendio potiùs, quando extraordinariis laboribus virtus & industria acuuntur. Porro in Collegiorum lustrationibus pauca quidem constituebat, sed volebat accuratè impleri : satis gnarus non legum multitudine, quæ gravis est etiam robustis, sed observatione stare ac florere Rempublicam. Quod si in Collegii alicujus inspectione decreta sua per Moderatoris incuriam neglecta deprehenderet, & hunc puniebat pro meritis, neque isto Collegio discedebat, nisi confectâ re, quam imperaverat, vel affecta, vel certè inchoatâ. Atque ita cùm Rector quispiam,  
fenestram

fenestram, per quam prospectus quidem amœnus, at æquè nostris noxius erat, ob rerum mentem ad se malè distrahentium obviam segetem, obstrui non curasset, ut à Vincentio fuerat imperatum; eò ipse post reversus non priùs pedem extulit, quàm fenestram muro obductam conspexisset. Ad hæc censebat delictis publicis pœnas publicas semper imponendas, ne reis iteratò peccandi audacia, aliis eos imitandi libido glisceret. Præterea numquam obtineri ab eo potuit ut ad Societatem denuo admitteret, quos ex ea semel dimiserat. Etenim hujusmodi admissionis facilitate sollicitari inconstantes ad egressum, repulsâ firmari in ea, sibi quæ ad mortem usque constare. Societatem (utpote matrem optimam) numquam eò severitatis venire, ut filios carissimos domo ejectos velit, nisi longâ ingeniorum animorumque periclitatione ac tolerantia, correctionis indociles agnoverit. Et verò rem lubricam, valde quæ incerti exitus videri, nec satis prudentibus probandam, sperare ab illis emendationem, corroborata multorum jam annorum spatio mali consuetudine, quam toties tantoque

nifu quæsitam, nondum adultâ malitiâ obtinere nequiveris. Uſu demum ipſo conſtare, qui Deo ac Societati fidem voto obſtrictam ſemel feſellerint, non difficilè denuo fallere, denuo expellendos.

Præſer-  
tim in  
oratio-  
ne o-  
mnibus  
cõmu-  
ni, & ju-  
vêtutis  
noſtræ  
pietate  
procu-  
randâ

Porro orationis matutinæ, quæ mente per horam integram ex legum noſtrarum præſcripto continuatur, itemque binorum per diem examinum conſcientiæ penſo neminem eximi volebat, utcumque gravia multaque negotia urgerent: neque momentum temporis, quoad faſ erat, ſacro illi tempori perire patiebatur. Quippe non modò religionem cæterasque virtutes iis niti noverat, ſed & felicem negotiorum ſucceſſum: facile autem accidi, aut integrum prætermitti cultûs divini tempus, ex inertia mera, ſi ſemel negotiorum cauſâ accidere conſueveris; natura ſcilicet ad prætexendas commodis ſuis cauſas ſemper promptâ & ingeniôſâ. Emicabat nominatim hoc Vincentii ſtudium in eo, quòd etiam Provincialis, omnes à Rectoris conclavi ad infimi cujuſque cellas eo tempore per ſe ipſe luſtrabat. Nec minori curâ ferebatur ad providendum, ut quiſque ſemel per anni interval-

intervallum exercitationibus spiritalibus, idque de Societatis instituto octo aut decem diebus, & in singulos tribus aut quatuor horis orationi quæ solùm mente fit, vacaret. Si quis autem iis defungi nequivisset, Provincialibus mandaverat, ut se de homine, ejus impedimento, & impedimenti gravitate, certiores facerent. Adeo rem hanc cordi habebat, quippe quæ religionis ignem perennibus negotiis sopitum, velut ingestis novo pabulo una inter reliquas maximè suscitavit. Præterea quod probè intelligeret Societatis juventutem, ejus velut sobolem atque adeo spem esse, sedulo eam excoli curabat. Quare modò singulos privatim, modò uniuersos publicè, quæ monitis, quæ exhortationibus, quæ efficacissimis industriis urgebat, ut pro virili quisque gratiæ divinæ, vocationis beneficio, nostrorumque expectationi non impares progressus in virtute facerent. Cùm Neapoli Rectorem Collegii ageret, minimum semel in singulas hebdomades rationem conscientiæ sibi ab iis reddi jubebat: quo tempore propriis documentis instructos, ad studium solidarum virtutum accendebat

debat

debat singulos, præcipuè verò ad generosam in omnibus victoriam de se pravisque animi affectionibus reportandam. Certis quoque temporibus in unum locum coactos, ad sectandam perfectionem asceticam omnes animabat. Cumque velut receptâ ex illius ore ac pectore flammâ efferbuissent, ultrò rogantium culpas palam prædicari ac puniri sinebat. Et quoniam vacationum à studiis tēpore, quo Scholastici nostri necessariæ ingeniorum relaxationi ad vineam mitti solent, periculum est, ne pietatis studium in nonnullis justo solutioribus intepescat, multiplici arte sanctus Pater detrimentum cavebat, Jobique ritu pro filiis convivantibus præcantis, ipse dum sui honestæ recreationi se commodant, voluntarias pœnas præcesque cumulabat; idque unice flagitabat piissimam eorum matrem, Immaculatam Deiparam, ut saltem ne deteriores, quàm ei crediderat, inde reciperet.

damnis-  
que ani-  
mæ ab  
ea amo-  
liendis

Quod si quis ab officio deflexisset, naturæ, ut fit, ac juventæ præcipiti cæcòque impetu, hunc paternè admonitum veniam scilicet donabat. At si correctio parum prodesset,

VINCENTII CARAFÆ. Lib. I. 141  
prodesset, domo Collegiõve amittebat  
furdus ad preces auribus, ne membrum  
corruptum alia inficeret. Numquam ju-  
nioribus usum librorum inutilium, nedum  
periculosorum permisit. Et si cujusciam  
in musæo poëta, aliúsve author minus ca-  
stus deprehenderetur, ejus lectorem ad  
tirocinium ablegabat, ut istie castimoniæ  
severioris præcepta, artémque sui fran-  
gendi è codice crucis condisceret. Quon-  
dam cùm Neapoli, in manibus unius è  
Nostris junioribus, ingeniosi sanè ac pro-  
bi, Jerosolyma Tassi, Poëtæ Itali, inventa  
fuiisset, eum ad viliora culinæ ministeria  
per aliquot dies obeunda amandavit, ne-  
quidquam excusantem nobiles Poëtæ il-  
lius inventiones sibi tum temporis hu-  
maniora docenti usui esse posse. Habebat  
porrò id temporis ac loci conciones ad  
populum vir meritis clarus. Hic partim  
amicorum rogatu, partim suamet ado-  
lescentis commiseratione, istius delicti ac  
pœnæ gratiam poposcit Vincentium. At  
ipse eâ nec factâ nec negatâ, *Tu verd,*  
*inquit, mi Pater, vadémne huius gratia,*  
*te mihi apud Supremum Judicem spondes?*  
Perculit ea vox hominem, ut ne verbum  
quidem

quidem contra hiscere auderet. Ita poenam reus exsolvit omnem; verum magno animæ compendio. nam majore salutis curâ susceptâ, alium hominem induit. Quo factum ut cum aliquot post annis missionem in Indias Orientales obtinuisset, etiamnum inter strenuissimos vineæ illius Apostolicæ operarios numeretur. Nempè medicamentum est poena: dum noxia submovet, vigorem animis non reddit modò, sed adjicit: si præsertim ob perspectam periti medici benevolentiam avidè hausta est. Certè Vincentius subditorum animas pro suis habebat amabatque. Neque minus sibi, quàm illis ex eorum culpâ timebat, sæpè animo volvens succinctum illud, sed emphaticè non Gregorii: *Penset ergo qui ad satisfaciendum districto Judici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit: quia quot regendis subditis præest, reddenda apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet.*

urgebat  
alios  
maximè  
exemplo suo.

Cæterum non aliàs magis, quàm exequendo, legum executionem urgebat. Contra quam Præsides nonnulli, qui dum leges facillè frangunt, fragiles eas faciunt: dumque

dumque molliùs vivunt, & pauca à se, simul ab aliis multa, nec satis leniter exigunt. Itaque præcipuum ad virtutem momentum sancti Generalis vitæ, religiosissimisque moribus inerat. Tunica illius talaris, quam sotanam vocamus, pauper & detrita, cubiculum omni familiari suppellectile nudum, rara in omnibus animi demissio, modestissimisque corporis habitus, etsi aliquorum iudicio minus idonea erant ad tantam personam dignè sustinendam, tamen revera extollebant eam potiùs, quàm deprimerent. Maximam verò vim vel eorum aspectus animis nostris faciebat: quin & cogi videbatur ad nostri contemptum: utique indignum rati, & probro plenum, si quis melior conditione esse vellet, quàm ipse Generalis, genere inclytus, dignitate summus, virtute eximius. Siquidem non posse nos non intimè commoveri, cum æquaret ille primulum tironem observatione minimarum legum: dimidiaret verba ad campanæ silentium indicentis pulsum: non sibi vel hoc sumeret pro supremâ potestate, ut præter regulam domum per templi fores subiret, etiam dum  
largus.



largus imber adigebat: ad primum item nolæ examen conscientiaë sonantis pulsum vel maximi ponderis interrumpere consultationes: non caperet ullum ab immensis negotiis levamen: at lætitiã ex abjectione ad vilissima miserorum ministeria, mœroremq; ex honore: denique cùm impleret omnia, quæ S. P. N. Constitutiones exigunt. Hæc, inquam, omnia disciplina virtutisque tuendæ augendæque maxima ex omnibus præsidia erant. Constat enim leges, apud ingenuos non tam pœnis, quàm majorum exemplis sanciri.

---

 C A P U T I X.

*Suavitas ejus regiminis.*

**V** Irum quidem, ut vidimus, patrẽmque se gerebat Vincentius in Sociorum familiã gubernanda: at etiam matrem. Eoque hanc propensius, quod suavitas illi ingenita, severitas præter indolem erat. Experti in illo matrem ægri imprimis, quos utique *oculi sui pupillam* vocare consueverat: manifesto indicio eos

Eum  
matrem  
exoriũ-  
tur æ-  
groti.

eos

eos illi in oculis, ac maximè cordi esse. Id quod litteris ad Societatis Præpositos datis, sanè efficacibus ac luculentis, testatum esse voluit: & aliis ad quemdam Provinciæ Neapolitanæ clarum meritis Sacerdotem, fractâ jam senio laboribusque valetudine. Cùm ejus scriba ita Vincentii mentem exposuisset, *Valetudo tua, mi Pater, æquè ac mea ipsius cura mihi est*, expunxit Vincentius, *æquè*, substituitque, *plusquam mea*. Sed & aliàs volenti nolentive id ipsum expressere lachrimæ: namque de illorum curâ, sub vitæ finem cum uno è Patribus Assistentibus agens, erumpentibus illis ex intimo miserationis sensu, sermonem abrumpere coactus est. Verùm his omnibus certiora luculentioraque facta. Quotiescumque igitur aliquis ex morbo gravi decumbebat, nulla nox abibat, etiam per hyemis acerbicatem, quin lecto ipse surgeret, ægrumque adiens rogaret morbi statum, & si res ferret, piè solaretur. & contigit ut bimestri spatio, dum scilicet duravit morbus, singulis omnino noctibus quemdam è nostris hecticâ laborantem inviserit. Aliàs item non exiguo tempore alium

K . sanguinem

fanguinem spuerere solitum, ut ortam inde  
fitim frigidâ illi porrectâ levaret. Quæ  
charitatis officia, ne ceteris dormienti-  
bus importuna forent, gradu suspenso  
sine strepitu, sumptisque in manus cre-  
pidis obibat. Quod si de vita ægri con-  
clamatum esset, ut animo potius quàm  
corpori medendum videretur, noctem  
integram illi addictam, vel solando bre-  
vibus ac succo plenis ex Sacro Instrumen-  
to sententiis identidem iteratis (quas vo-  
cis pietatem spirantis dulcedine velut  
condiebat) vel genibus in angulo valetu-  
dinarii positis, donec æger animam ex-  
halasset, Deum illi propitiando traduce-  
bat. Frequenter adibat quos tabida fe-  
bris aut hectica, aliùsve diuturnior mor-  
bus lentè exederet: quorum copia Nea-  
poli vix umquam deest, quippè ob cæli  
aptam hujusmodi ægris temperiem. Ne-  
que illum vel distantia valetudinarii à  
suo conclavi, neque sua infirmitas retar-  
dabant. Erant porrò illius aditus non  
modò humanitatis ac solatii pleni (nam  
vel ejus aspectus ægrotantes exhilarabat)  
sed etiam religiosè munifici. Nam vale-  
tudinarii curatorem nummis instruens,  
monebat

monebat ut usque ad delicias ægrotantium iis uteretur, non tantum ad res necessarias. Quamquam delicias pro necessariis habere videbatur, qui eas infirmis deberi dictitabat. Quare minimè mirum, si necessaria ægrotis diligentissimè procuraret. Ita quæcumque mandasset medicus, indicta hora sine cunctatione perfici curabat; in quò ipso si quid à fratribus valetudinarii ministris peccatum erat, vel negligentia, vel oblivione, injunctis pœnis memores officii reddebat. Dum autem ægri vescebantur, sollicitè observabat ex abdito, quarum escarum gustu caperentur. sin autem omnes desiperent, suspirare ex intimis medullis audiebatur. teneram matrem dixisses.

Neque tamen ejus charitas prudentiæ, fortitudinisque fines excessit. Nullis unquam parentum precibus abs eo impetratum, ut liberos ægros, præsertim juniores, è Societatis domiciliis in suas ædes villasve ducerent: utcumque spes affligeret salubritate natalis soli istic sanandos. Cujus consilii ratio ex eventu infelici nimis patuit. Languebat hecticâ febrè

Prudenti tamè charitate

adolescens è nostris eximiæ expectationis. Curationis spes non minima ex temperie natalis soli (nempe recenti adhuc morbo) parentes urgebat, & hi Rectorem, ut filius in domum paternam mitteretur. Neque Rector ab eo consilio abhorrebat, spectatâ juvenis virtute. At tamen Vincentium consulere placuit. Dissuasit hic: nec enim si eò iret, ad Societatem rediturum. Sed cum extra illam aleam juvenis probitas esse videretur, & insuper parentes filii missionem importuniùs flagitarent, eam tandem Rector concessit. Verum seu ex oraculo, seu ex judicii perspicacitate Vincentius infaustum eventum præceperat, hic sanè fidem illi, at seriùs, contra aliis secus arbitrantibus non levem verecundiam fecit. Cum enim aliquamdiu apud parentes commoratus esset, liberioris illius vitæ dulcedine captus, remediùm corporis in animi perniciem vertit. Tot enim litteris, tot causis fictis, pro sua è Societate dimissione apud Præsides institit, ut sæculo reddendus fuerit, cui tam tenaciter adhæserat. Adeo certum est Religiosorum accessus ad parentes religionis exilia

exilia esse, & suavia quidem: neque virtuti fidendum ubi periculum amatur. Ceterùm hæc etiam causa Vincentium impulit, ad curam juvenum præsertim ægrorum usque ad delicias porrigendam, ut nulla maternæ sollicitudinis recordatione, nedum desiderio tangerentur.

Erat autem eò admirabilior Vincentii Et ad omnes diffusâ adversus ægros charitas, quòd ad imos usque pertineret: quodque non tempore circumscripta, non morbi diuturnitate molestiave fracta, non ministeriorum fastidio languida, non sumptuum faciendorum magnitudine timida; sed semper vegeta & recens appareret. Utque omnes in Christo filios censebat, ab eoque sibi concreditos; ita par in omnes erat. Usque adeo ut non ampliùs ab eo impetrarent respectus humani, pro Sacerdotum primoribus, quàm pro infimis fratrum laicorum. Visum erat medicis Sacerdotem Neapolitani Collegii, mittendum ad balnea Ischia, inveteratum morbum ut elueret. Audivit hoc ex eodem Collegio alter è nostris, rei familiaris adjutor, arbitratusque sorte bonâ oblatam sibi opportunitatem catharri, ex quo pridem lan-  
K 3
guebat,

guebat, iisdem balneis curandi, hanc gratiam flagitavit Vincentium, tunc utriusque Rectorem, ut Patrem ad balnea comitari sibi liceret: & se enim ex iis sperare ægritudinis suæ curationem, & Patri libenter impenseque famulaturum. Cui Rector, *Cùm & tu agrotas, ait, non est cur alteri agro famulere. Agedum quæramus ex medicis an Ischia illæ aquæ salubres tibi futuræ sint; tum meum erit, pro eorum sententia morbo tuo consulere.* Qui mox acciti cùm pronuntiaffent remedium illud ei præsens fore, Vincentius illum cum socio, qui ei propriè inserviret, ad balnea missum, adeo liberaliter haberi, studioseque curari voluit; ac si primis Societatis capitibus nihil cederet.

Etiã  
cum  
proprio  
incom-  
modo

Sed præcipua laus charitatis, qua de agimus, hæc fuit, quòd ut agris commo- daret, eorum incommoda, oneraque in se ipse transferebat. Novitiis præerat vir strenuus, sed viribus sensim deficientibus, habituque corporis vitiato, jam deterius in dies habebat, & fato proximus videbatur, nî malo medicina fieret. Hanc tamen ipse negligebat, ratus valetudinem sanctæ voluptati, commodisque animi, quæ

quæ ex ea occupatione non pauca capiebat, posthabendam esse. Vincentius recognitâ, (erat enim Provinciæ tunc Præpositus) cum duobus medicis tirocinium petiit, accersitoque Rectore voluit de valetudinis illius remedio deliberari. Qui cum Patrem abstinendum tantisper ab eâ animi contentione censuissent, quod hominem furtim exederet; ibique collocandum, ubi majori libertate, mensâque lautiori uteretur, Vincentius ut Rectori promptius esset medicorum iudicio acquiescere (est enim fortibus viris gravius quieti, quàm ignavis labori se dare) tironum curam, suæ Provincialis adjunxit, nihilque de hac remittens, utramque naviter egit. At Rector ille otii tantisper gustati pertæsus, atque ut cupidis laborum facile est, brevi valetudinem recuperatam sibi ipse fingens, ad labores consuetos se accinxit. Sed prohibitus à Vincentio est, etiam post preces, missusque ad mitioris cæli domicilium, non laïco tantùm adjutore, sed & Sacerdote comite, quocum familiaris jucundiusque acturum credidit. Quin & tirones identidem ad eum delegati, ut patrem filii



recrearent. Neque verò illum redire sivit, nisi elapsis aliquot istic mensibus, confirmatâ utique valetudine: quando & officio illum restituit: quo se oneraverat, Pastorem bonum lassam ovem humeris portantem imitatus, quem nec piguisset in pastione imitari, si suamet carne & sanguine reficere ægros potuisset.

Et valentes  
habet liberaliter

Quocirca nec deesse poterat valentibus, sive ne ægrotarent, sive ne incommodè haberent. Itaque sedulò prospiciebat necessitudinibus tum communibus omnium, tum privatim singulorū. Numquam passus est, ut à parentibus, aut amicis quisquam necessaria peteret. Hæc ipse procurabat copiosè, tantâque animi propensione & gaudio, ut quæ aliis dabat, dixisses accipere. Quod si, quibus mandaverat, parsimoniâ vel inertia, nostrorum necessitates negligere animadverteret, non impunè abire sinebat. Si monitis ac pœnis parum emendarentur, officio amovebat. Quo die inserviebat mensæ, adeo præter modum consuetum portiones singulorum, priusquam deferreret, augeri curabat, ut nihil illis reliquum fieret, qui secundæ accumberent. Quare  
coqui

coqui destinatis ejus ministerio diebus, multò plus edulii, quàm aliis, parabant. Atque ideo (ut sunt varia in omni cœtu ingenia) non deerant, qui nimix profusionis eum accusarent. Etenim accuratiùs illi explorandum, an vera necessitas, an ficta ab amore sui supervacaneo, id augmenti exigeret. Huic enim mori proum esse delicatum palati fastidium, aut gulam necessitatem interpretari. Sed fac non nisi necessaria exigi, tamen iis subinde in conventu, exempli aut offensionis aliorum causâ, parcè utendum. Sed alieni pectoris angustix, vocesque queritantium, largissimum Vincentii animum restringere non poterant. Enimverò hac in re Rectorem decipi (si quidem fraus irrepere potest) intereaque se fraudis inscium simulare, si paternum pectus gerat, jucundum accidere debere: sic enim certum fore, eum qui falsâ necessitatis opinione aliquid esculenti ab eo petit, verâ faciliùs petiturum: quàm facilitatem ei, qui se patrem meminerit, inferioresque filios, quovis pretio redimendam esse. Quod si fortè cuiquam necessaria negentur, indignationi & queri-

monia maximum, amoris ac fiducia in Moderatores locum in ejus animo nullum omnino fore. In hanc ille sententiam. Et profecto calices si opus fuisset, fregisset, ut pecuniâ inde conflata Nostrorum necessitatibus prospiceret. Atque id ex mente S. Ignatii Rectoribus suadebat. Et verò conquistam in paupere collegio pecuniam, ad sacrum aliquod altaris vas emendum, ipse unius è Nostris curationi addixit. quippe fat gnarus viva Divinitatis vasa inanimis longè antecellere.

Se neglecto

Porro cùm hyems ingrueret, ipsemet per sese sedulo inquirebat, an quisque pro tempestate ac loco à vestibulis satis contra frigus munitus esset. Cumque suæ ad eum deferrentur, sciscitabatur, an reliquis foret provisum: si vel unus restaret, sibi postponi non sinebat: indignum ratus, Rectorem iis instructum esse, quibus subjecti carerent: raro nimirum judicio, haud minus quàm rarâ charitate. Quæ adeo illi cordi fuit, ut dum alicui commodè vestes deerant, suas ipse mitteret. Unde non raro accidit, idque ex illius voto, ut nullæ ipsi nisi veteres, detrita

detritæ & segmentis reconcinnatæ superarent, quas ne infimo quidem domesticorum tribuiffes. Numquam vero acquievit, ut novæ in ipsius usum emerentur. Ita qui cæteris munificus, propè suprâ modum religiosæ paupertatis, sibi ipsi erat parcissimus. Cuidam è Patribus datum erat panni fragmentum, interulæ conficiendæ sat amplum. Is illud Vincenzio, utpote Rectori, & tamen malè tectorigentiq̃ue, offerens, flagitavit, ut admitteret. At ipse laudatâ offerentis benevolentiam, gratisq̃ue ex animo actis, *Amabo, inquit, mi Pater, quare quis domi eo maximè omnium indigeat; nec dubita, donato illi panno perinde lætabor atque accepto.*

Quare non mirum, si parcos, parùmque suis benevolos Præsides ferre non posset. Itaque si in lustrandis Collegiis aliquem ex iis comperiret, non efferebat pedem è loco, ubi parsimoniâ peccatum erat, quin eum liberalitate religiosa correxisset. Ita si quis eorum commodum amictum subjectis negaret, priusquam Collegio discederet, accersito domum nostram lanaris texti propolâ, eoque ad  
domesti-

Infer-  
sus iis  
Rectoribus,  
qui alios  
negligunt,  
vel parsimonia,  
vel nimio  
sui amore

domesticorum omnium vestes, pro cuiusque necessitate, ac religiosæ paupertatis ratione coëmpto, omnibus fieri satis curabat. Tum tradita Rectori pretii parte, ut totum brevi persolveret, monebat, ut ex inde plus in Deum fiduciæ, atque in suos charitatis conciperet. Quondam evênit, ut nescio quis è Præsidibus tam insanè sui amans esset (avertat Deus pestem hanc à suâ Societate) ut neglectis, in attrita veste, parùmque ad frigus arandum aptâ, inferioribus, quos ut fratres, quippe Patre ac Matre iisdem genitos haberi oportebat, ipse non commo- rantùm, sed & superfluo amictu oneratus incederet. Non tulit illiberalitatem Vincentius: nec mora superfluis ei detractis alios induit, censuitque qui præesset, indignum: nec enim Rectoris, id est, Patris munus ac nomen mereri, cui viscera non sunt paterna: veriùs monstrum esse Præsidis Religiosi, qui filios algere & incommodè habere sustinet, cùm ipse habet commodissimè: enimverò verum Patrem immemorem sui, memorem esse filiorum, se negligere, suis quæcunque potest, commoda procurare. Et hunc demum

demum esse debere Præfecturæ religiosæ  
quæstum, compluribus benefaciendi op-  
portunitatem. Cujusmodi beneficen-  
tiam etiam erga non subjectos exerceri  
optabat: quòd & hi fratres essent, ejus-  
demque patris ac matris filii, quos inter  
nullum discrimen intercedere debeat.  
Concionator quidam dum Neapoli in  
Siciliam triremi melitensi vehitur, hac  
ad scopulos allisâ, scripta sua vix ipse  
salvus amiserat. Vincentius jam recens  
Generalis, casum ut audiit, commisera-  
tione medullitùs tactus, hominem per  
litteras consolatus est, oblato, quodvis  
eligeret, ad cudendas conciones novas,  
domicilio: & quamquam non ambigeret  
de Præsidium Neapolitanorum charitate,  
tamen eum illis singulariter commenda-  
tum, jussit omnibus abundè instrui, quæ  
vel ad reparandas vires, vel ad alia opus  
illi forent.

Quin & cæteris rebus de suis benè me-  
reri studebat optimus Pater. Ita dum  
aliquò faciendum iter, dum libri spiritua-  
les typis in lucem edendi, aut in usus  
publicos transcribendi, dum parentes  
sibi subjectorum inopia laborabant, seu  
quam

Etiã  
solatia  
suis  
procu-  
rat

quam nascendi conditio, seu quam fortunæ iniquitas attulerat, effundebat sese, non sua tantum, ut omnibus fieret satis; idque ultro, nec rogatus: satis rogari existimans, quæ charitas postularet. Quod si quandoque petita concedere non poterat, aliter, ut erat integrum, negata supplebat. Magister quidam cupiebat secum libros efferre aliquos è cubiculo, unde migrabat, Vincentius quod ei acquiescere nequiret, lege id nostrâ vetante, confestim ejusdem generis libros eidem providit, simul commodo illius studens, simul religiosæ disciplinæ. Nonnumquam dulciaria cellis injiciebat, partim eorum quos ætas tenerior, partim quos continui labores aliqua refocillatione, ac lenimento donandos suadent. Qui hisce ex improvviso repertis, etsi minimè desiderarent, tamen optimi parentis caritate factum gaudebant, ut parentum curas & solatia desiderare non possent, Vincentio uno patrem ac matrem supplente, quantum religiosa paupertas sinebat. Ad hæc si quis amicorum, eorum præsertim qui in Indiis habebant (qui quidem multi) munusculum aliquod exquisitum ei misisset,

fisset,

fisset, nec temporis punctum, ut ita dicam, hærebat in ipsius manibus; at illicò aliis, quibus usui esse poterat, impertiebatur: urgeri ad dandum dixisses seu studio paupertatis observandæ, seu imperio fraternæ caritatis.

Atque hæctenus de corporum cura; Et animos leniter curat.  
 nunc de animorum. videamus igitur porrò, quas sibi leges animis ritè ac suaviter regendis præscripserit. Ægrè primùm delatores illos audiebat, qui seu indolis bonitate, seu naturæ pigritiâ quieti quòd sint, paucarumque adeo noxarum, alienas naturæ potiùs quàm voluntatis vitio admissas, non correctionis studio, sed correptionis avidè deferunt. Angustos enim ac infirmos animos, ex paleis trabes, & lusciosos oculos ex umbris montes facilè sibi fingere. Quare quò magis alienas culpas accusando exaggerabant, eò fidem illorum magis habebat suspectam. Nec umquam delationi sic unam aurem adhibuit, quin alteram & quidem illibatam servaret defensionis: nec inuri sibi sinistram de aliquo opinionem sivit; etiam ab iis quos regiminis habebat administratos, nisi factum evidens & omnino extra  
 contro-



controversiam foret. Hinc nemini suspectus, omnibus expositum tutumque per-  
fugium erat. Quare illo gubernante pro-  
cul erat illa tinea Religiosæ familiæ, diffi-  
dencia inter Præsides ac subjectos mutua,  
procul horum desperatio, quæ, quod illa  
lente & clanculum exederit, uno impe-  
tu quassat ac diffringit. Numquam ad ar-  
guendum quempiam accedebat, nisi se-  
cum reputasset, qua ratione correctio  
utilis reo, ac minimè molesta accideret:  
similis nimirum chirurgo filii vulneribus  
sic medenti, ut minimum dolorem exci-  
tet. Nèc enim vultum torvum atque im-  
mitem induebat, aut verba devolvebat  
cum strepitu atque impetu parum paca-  
tæ mentis indice: sed si aliqua se offer-  
ret vel Christi, vel Sancti alicujus senten-  
tia, hac ad monendum leniter utebatur,  
ut admonitio velut ab illis, non à Vin-  
centio profecta, tamquam pluvia ex al-  
to, leniùs altiùsque animo influeret. Op-  
portuna quoque ac mollia arguendi tem-  
pora captabat, prudens correptionem  
medicamento esse similem, quod quidem  
in tempore haustum sanat, aliàs necat,  
aut graviter lædit. Quocirca non raro  
eam

eam differebat, dum reus bellè atque hilariter se haberet, ut objurgatio molliùs caderet; aut in tempus exercitiorum spiritualium, vel præparationis ad vota ritè instauranda, quo tempore inquit quisque ex instituto nostro in animæ suæ nāvōs; & ipse insinuato de rebus piis sermone, quasi aliud agens, quàm destinarat, placidè tangebatur plagam, & occulto quidem, sed profundo ictu pus omne eliciebat. Quondam concionatorem audit, haud scio cujus Ordinis, parum congruis Religioso gestibus, & ad ostentationem potiùs quàm ad sacros motus composita oratione differentem. Ex candescebant inter se eà finitâ Vincentii comites: at ipse, *Ite nunc, ait, quærite vobis Rectores, cum tam difficilis sit, attamen necessaria, si officio fungi velint, subiectorum correctio. Nam vel eiusmodi orationis vanitas, sanè intolerabilis, toleranda esset; vel si emendare est animus, iubendus est hic talis vitæ concionisve modum mutare: quod citra eius perturbationem quâ fieri possit?* Ex quibus planum est placidas delictorum correctiones illi placuisse. Itaque, quod verbis poterat, non pœnis

L                      efficien-

efficiendum censebat, nisi si noxæ publicæ, exempli ac disciplinæ gratiâ castigandæ forent. Sic bonus Pastor, authore Gregorio, ut plurimum voce ac fistulâ, quandoque pedo regit oves. Quin & quempiam castigaturus, sedulò curabat, ut culpa in aperto esset, ne qua negandi querendive ansa restaret, & acerbitatem pœnæ, prompto intimi amoris sensu mitigabat, Samaritani exemplo, oleum vino in plagâ curandâ miscentis. Narrat ex Adjutoribus rei familiaris quidam, accitum se aliquando ad conclave Vincentii; cumque venisset, orantem ad pulpitum offendisse. Tum se ab eo jussum tantisper confidere, dum scilicet illius animum, ut correctionem utiliter exciperet, precando parasset. Demum oratione desitâ, conversum optimum Patrem ad sermonem de noxâ ab ipso admisâ: tantâque illum animi ac rationum vi aggressum esse, ac impulisse ad subeundum quidquid pœnæ imponeretur, ut quamvis maximè vellet noxæ fucum prætexere, timore pœnæ, tamen nullatenus posset: atque ita verecundiæ suæ atque infantia iratum ad cellam revertisse.

Si

Si quem alicujus delicti sibi conscium Cum  
sensu  
beni-  
gnitatis  
videret poenæ se humiliter submittere,  
sic afficiebatur animo, ut irrogare vix  
posset. Solâ necessitate ad hoc adigeba-  
tur. Ita coactus aliquando quemdam pu-  
blicè punire, ob verba stomachi & indi-  
gnationis plena, quæ commoto publicè  
exciderant, cùm eum culpam agnoscere  
ac plangere, paratumque ad quamlibet  
poenam advertisset, dicebat se illius sub-  
missione quodammodo dolere. Enimve-  
rò illinc adigi ad publicam poenam pu-  
blicæ noxæ irrogandam: hinc autem ad  
miserationem ac veniam. Addebat sua  
Præpositi non minus interesse, rei lenita-  
tem in ferenda poena remunerari, quàm  
delictum castigare: quod hoc errati po-  
tius quàm voluntatis esset, illa contra  
mentis optimæ. Et contigit, ut cùm  
quispiam poenam sibi ejus jussu irrogatam  
haud gravatè tulisset, ejusdem benigni-  
tate altiùs proveheretur, quàm aliàs fui-  
set subvectus; ut felicem culpam dicere  
liceret, quam sequeretur poenæ patien-  
tia. Illud etiam sua illi benignitas præ-  
scripserat, ut minorem culpa poenam in-  
jungeret, quò benevolentiam poenæ im-

mixtâ etiam puniendo fontes sibi devinciret. Ita vitabat etiam eorum parum æquam opinionem, dum quisque culpam elevat, pœnam exaggerat, peccare facilis, difficilis puniri. Denique RR. PP. Assistentes, ut ex iis ipsis audiui, suspiciebant in Sancto Generali nostro tantam animi fortitudinem in sancienda fontium pœnis disciplinâ religiosâ, quantam superiori capite exposuimus, cum hac qua de agimus, summa benignitate conjunctam, quasi illorum pœnam ipse ferret, neque posset totam imponere.

Subje-  
ctorum  
injuris  
nihil  
obstan-  
tibus

Subjicio postremam illius benignitatis laudem, quod hæc ipsa nec contemptu, nec alia offensâ languesceret. Quin & illis magis accenderetur ad benè de iis, qui offendebant, merendum. Acceperat à quopiam è Nostris litteras perturbati animi indignationem, aliaque omnia, quàm quæ subjectos decent, spirantes. Provincialis, qui Vincentio tum à litteris erat, dum epistolam ad fontem exarat, amicè monuit (nam à reprehensione sciebat Generalis genium abhorrere) ut videret quo illum mentis error ac conturbatio impulisset, contra quàm ratio observan-

observantiæ Præsilibus debitæ postulabat. Sed Vincentius dum eam epistolam subscribendi causa inspexit, totam induxit, novamque voluit contexi, quæ nec speciem quidem umbramve haberet aculei, quasi si reus æquum bonum cordatè scripsisset. Aliàs Rectorem aliquem admonuit, ut nonnihil de severitate remitteret; quòd inferiorum tranquillitati, ut fit, plus officeret, quàm prodesset disciplinæ. Hic, sive quòd corrigi non amant, qui soliti sunt plus æquo alios corrigere, sive ob insitam austerioris indolis propensionem, cum admonitionem satis graviter ferret, rescripsit se muneris sui pertæsum esse. Quæ responsio ita perculit boni Patris animum, ut litteras ad eum dederit humanitatis ac submissionis plenas, quasi molestiæ ei creatæ veniam peteret. Pauco post tempore dum ad Collegium istud venisset lustrandi causâ, cognito posse se Parenti ejusdem Rectoris Neapoli in negotio non levis momenti adesse, nec rogatus, impensè se obtulit & in tempore adfuit: nec juvare destitit ante felicem illius exitum. Verùm haud scio an major ulla laus benignitatis ejus

extiterit, quàm quæ ex re subjecta effloruit. Non arridebat nonnullis ratio illius regiminis, qui eum suo arbitratu regere, potiusque ex voto suo, quàm ex recto iudicio agere voluissent. Improbavere illi apud Generalem, quæ in eo damnabant. Neque delatio Vincentium latuit: sed neque impellere potuit ad verbum ullum pro suæ causæ defensione scribendum: quin potius testatorem deinceps esse voluit suam in accusatores benevolentiam, eosque, quantum fas fuit, etiam aliis meritis extulit, quòd sibi persuaderet amore recti ad id adductos. utcumque sit, sua illos fefellerat opinio. Nihilominus tamen minùs propterea, aut infrequentius eos consulebat Vincentius: non servili quidem ingenio, consiliis velut obligatus, sed libero, ut si usus ferret, iis repudiatis alia omnia sectaretur. Parum enim pensi habebat, si gratiam non obtineret humanam, cum unicè venaretur divinam. Contra morem nonnullorum Præsidum, qui serviunt ut imperent: & consiliariorum, qui tamquam heliotropia ad solis sui motum circumaguntur, vera utrique & despiciabilia gratiæ humanæ mancipia.

Cæterum

Cæterùm Vincentius adeo sibi in benignitate lenitateque regendi per omnes præfecturas constitit, ut inter paucula, quæ sumpto SS Eucharistiæ viatico voce ac viribus defectus, ex imo verba deprompsit, asseruerit sese semper conatum, quantum fas fuit, cuique satisfacere, & solatio esse. Dumque Societatis gubernacula tenuit, sæpiùs auditus est sortem suam plangere, quòd ut maximè cuperet, non liceret sibi per officii sui leges & rem Societatis publicam, omnium votis morem gerere. Nec enim umquam singulorum desideria sunt ejusmodi, ut ita singulis favere possis, quin noceas universis.

## CAPUT X.

*Memorabilia quadam effecta  
egregia Vincentii in subje-  
ctos caritatis.*

**T**Empus me deficiat, si singulatim  
omnia persequi velim, quæ Vincen-  
tius toties aliis cum imperio Præpositus  
L. 4                      Specimina



specimina edidit propensissimæ in salutem perfectionemque suorum voluntatis. Et verò quæ capite proximè superiori produximus, penitus inspicienti fatis eam demonstrant. Verumtamen paucula illius exempla, quæ subnecto, præterire non licuit; sive quòd ad Moderatorum documentum insigniora, sive quòd divinam ac prodigiosam manum Vincentii votis ac conatibus obsecundantem ostendunt. Quamdiu tirocinium Societatis rexit, gnarus quantum intersit dæmonis vafraimenta ab ipsis initiis evolvi, eique quem nobis Deus præfecerit, expandi, jubebat Novitios suos, ubi primùm molestius importuniusque ad prava se sollicitari animadverterent, etiam nocte concubiâ, nullo tædii sui metu, nullo incommodi respectu, ad conclave suum venire, & pandere animum. Etenim tali præsertim re ac tempore patrem se illis esse oportere: atque adeo non fore sibi quidquam acceptius, quàm si ingenuâ libertate fiduciaque uterentur. Ita factum, ut cum nequam ille genius frequentius eos aggredi soleat, qui proximè tyrannidem ejus excussere, quippe rudes adhuc, imbelli-

Vincen-  
tii cura  
depel-  
lendi à  
tironi-  
bus dæ-  
monis  
conat-  
us,

imbelliq̄ue virtute, affiduè interdiu noctuq̄ue ad Vincentium itarent, subsidii gratiâ, consiliive. Augebat frequentiam fiduciamq̄ue excipientis humanitas, atque invitatio; præsens item remedium: nam nudasse plagam, non rarò sanari erat.

Subita  
unius  
curatio-  
ne com-  
proba-  
tur.

Fuit cùm novitio cuidam ad quietem se componenti, instante jam somnò quasi ex insidiis injectum est simul vehemens tædium susceptæ religiosæ vitæ, simul sæcularis abjectæ desiderium. Et nitebatur ille quidem utrumque rejicere: sed pro nixu tentatio crescebat. Quid faceret? nam ex vero docuit S. Ignatius nocturna cum dæmone prælia diurnis periculosiora esse, quippe animo objectis illecebris tenaciùs in hærente, quando illum nulla sensibilis species ab iis divertit. Igitur lecto se proripiens, provec̄tâ jam nocte ad cubiculum Vincentii confugit; fores leniter pulsat, ne si obdormisset, somnum interturbaret molestiùs. Confestim jubetur ingredi; narrat tentationis genus & importunitatem; conatusq̄ue sui damnum potiùs quàm fructum. Tum amica hilariq̄ue voce, *Eia mi frater*, ait, *timorem pelle, res bono loco est, crucis signum*

L 5

qua

*qua parte cor residet, digito imprime: nec plura: cubitum quietus redi.* Rediit, ut jussus, illoque facili juxta vulgarique remedio non solum in præsens, sed & in reliquum vitæ, eo genere tentationis liber extitit.

Miraq;  
alterius  
conver-  
sione

Admirabilior fuit, digniorque memoratu mutatio cujusdam tironis Adjutoris, ejus ipsius confirmata jurejurando. Hic quondam incidit in sæculares tironum vestes, auræ liberiori (ut quotannis fieri assolet, ne vitium contrahant) in porticu expositas. Quas dum curiosius contem-  
platur, suas etiam animadvertit. Hæret in earum aspectu, sensimque vanâ præteriti ornatûs oblectatione capitur. Non defuit occasione dæmon: & illinc sensum pristinae suavisque libertatis juveni revocavit in memoriam, hinc molestias ac rædia vitæ, in centonibus illis quibus nunc onerabatur, tolerandæ: atque ut orator est in perniciem hominum disertissimus, utraque mirè amplificavit. Ne dubitaret ergo quando adhuc sui juris erat, nec ullo voto religioni obligatus, atque adeo sine crimine licebat, hæc molestias à se depellere, resumptisque sæculi vestibibus  
pristinæ

pristinæ libertati se restituere. Neque furdo cecinit. Assensus est miser tyro pravæ suggestioni, & vasa colligere statuit. Quia verò sat certus erat Vincentium, si mentem ac consilium ejus resciret, persuadendi adeo potentem, ac Deo gratiosum, ut vel dicendo vel precando illud disturbaret; ejusdem vafri genii instinctu, non silentio tantum, sed & fugâ rem expedire statuit: Jamque in occasione fugæ quærendâ totus erat. Clavi igitur aliquando potitus, modò domus, modò templi fores adibat, explorabundus, num quem obvium haberet, à quo deprehendi posset, si properè ad vestium sarcinam recurrens, eâ arreptâ insalutatis omnibus se subduceret. Et Deo benè propitio semper aliquis occurrit, ut cellam mærens repetere cogeretur. Octo dies tenuit ea fugæ captatio, usque dum Vincentius Dominicâ die sacrâ Synaxi defunctum ad se accivit, initoque de aperiendis animi arcanis sermone, petiit, nullâne illum prava cogitatio turbaret. Negat ille intrepidè. Sed Pater mentis ejus divinitus conscius, eandem quæstionem aliquoties iterat: at toties ille pernegat. & adeo præsi-

præsi-

præfidenter, ut omnem spem recideret exprimendæ à se confessionis. Tum Vincentius, *Quid si, subjicit, prior ipse statum animi tui patefaciam, annuésne vera loquenti?* Spondet. *Carissime frater, ait, iam octo dies sunt, ex quo abdicata religiosa vitæ voluntate constituisti de transfugio in sæculum; eò clavim surripuisti, quam penes te semper habes, sapiúsque iter ad ianuas domûs explorasti, ut si nemo obvius te deprehendere posset, aufugeres.* His auditis miser attonitus, & sacro quodam horrore perculsus est. Siquidem noverat se consilium illud suum cum mortalium nemine communicasse: ac tum scilicet ordine totum exposuit. Solatus est Pater optimus prodigum suum verbis sanè benignissimis: pollicitusque neminem omnino, præter se, rei conscium fore, addidit amplioribus etiam, quàm antehac umquam, curâ benevolentiaque illi se deinceps adfuturum. Dein genua curvare iussit, & crimina ritè confessum absolvit. Porrò visus est ille sibi ingenti onere levare; liquidiorique, quàm antehac ulla occasione, gaudio delibutus, ad cellam se recepit: certus mori prius quàm

quàm ab initio vitæ genere desciscere.

Affinis est in causa non dispare even-  
tus, qui subjicitur. Duo quidam Societa-  
tis adjutores amisso sensim religionis spi-  
ritu, atque adeo tædio illius affecti, ex  
compacto decreverant Societate repu-  
diatâ ad pristinas artes redire. Sed prius  
quàm rem exequerentur, tertium quem-  
dam hætenus propositi tenacem ad idem  
sollicitarunt. Et quia hoc negotium erat  
authore dæmone susceptum, eodem in-  
stante tanta vi affectûs rationumque fal-  
laciæ hominem invaserunt, ut succum-  
beret. Hæc est humana imbecillitas. Si  
lapsantem naturam in malum succusse-  
ris, nihil prius, quàm ut sponte ruat.  
Ergo jam gravis erat illi vel memoria  
obedientiæ, cui antea re ipsa parêre ju-  
cundum: maximè verò intolerabilis tot  
legum observatio, quæ ne momentum  
quidem temporis suo arbitratu agere  
permittunt. Summâ, decernit & ipse nun-  
cium religioni Christoque remittere; at  
non sine gravi mentis perturbatione,  
acrique stimulo conscientia. Nimirum  
utcumque vitæ religiosæ pertæso inhor-  
rescebat voluntaria illa, quam destinabat,  
præcipi-

Alius  
item cū  
vatici-  
nio

præcipitatio sui è cœlo in cœnum, & è cœno, ubi difficillimum est præcipiti consistere, in orcum. Vix duo illi pravi consiliarii ab eo discesserant, cùm Vincentius hunc in conclave suum accersiri curat. Quamquam enim nec congregantes alios viderat, nec degredientes, mente tamen interfuerat eorum colloquiis. Rogat igitur illum, quâ se animus habeat, an illius quietem quid interturbaret. Ille malo dissimulato negat. *Quid ergo sibi volebant hi duo*, subjicit Pater, *quidve tecum conferebant?* Mentitus ille, nuncios respondet, præterea nihil. Urget hominem Vincentius, néve mentiri pergat, asseverat magno pariterque dulci animi sensu quæstiones has non aliò quàm ad ejus bonum institui: atque ita demum veritatem extorquet, quid ab illis duobus conspiratum, ad quid ipse sollicitatus, quid pollicitus, & quantis exinde angoribus premeretur. *Tum verò Vincentius, Non sic res habebit*, ait: *Etenim ille* (alterum è duobus nominavit deficere pertinaciorum) *permansurus est in Societate: alter ab eâ discedet.* quod utrumque evenit. Deinde paucis hunc tertium ad constan-

constantiam exhortatus, sigillum Christi è cruce pendentis extraxit è sinu, ubi gestare solitus; vile quidem si materiam ac speciem spectes, at illius usu contactúque pretiosum: eumque fratrem sic affatus est. *Vides, frater mi carissime, quemadmodum optimus hic Redemptor nobis brachia expandit sua, nósque præstolans, nihil tantopere exoptat, quàm ut in dulcissimum illius sinum nos ipsos immittamus, intremúsque illius cor, utique hunc in finem apertum? Et nos tam pium Dominum, nos, mi frater, à nobis deseri sustinebimus?* Atque hæc locutus, signum illud ei donavit, monens ut qualibet pressus necessitate, perfugium in eo suum collocaret: fore profectò instrumentum, fontémque omne genus gratiarum: quod & postmodum variis temporibus, rerúmque difficultatibus expertus est. Hisce autem dictis amplexatus est hominem, ejúsque fronti formulam crucis appressit. Ille autem eo crucis aspectu, Patris amplexu, manúsque in fronte contactu, mirum quantum animo permotus, discussâ penitus tetrâ criminosaë mentis caligine, atque adeo angore soluto, omninò alium se

se



se sensit, itaque in arrepto religioso instituto firmatum, ut si Societatem recens post longa desideria obtinuisset.

Eamdem  
ejus cura  
quam ad  
defectionem  
solicitationem  
frustra  
experitur.

Neque verbis tantummodo, aut hortationibus, sed & precibus fervidis ac diuturnis, durisque verberibus suorum in Societate confirmatio Vincentio constabat. Quæ omnia eo frequentabat ardentius, quod non nesciret consuetam hujusmodi nutantium (qui ut plurimum infirma virtute sunt) socordiam sic suppleri; atque adeo fugari dæmonem, quem illa velut proditrix, ad eos, quibus insidet, aggrediendos invitare solet. Ex eorum numero Novitius quidam egregiæ spei ob insolitam ingenii excellentiam grandia quædam ad Numinis gloriam spondentis, (si par quidem virtus cum tempore accessisset) è ferventissimo virtutis affectu jam desidia tædioque in vitam languerat. Quin & fastidiebat divina, quippe quorum sapor non percipitur ab iis qui alliorum Ægypti gustu capiuntur. Quocirca & facile aditum dæmoni dedit & manus: at Vincentius non ita facile illi copiam Societatem deserendi. Etsi enim non erat animus invitum  
retinere

retinere ( nam domus religiosæ non sunt triremes ) tamen omnia prius periclitari, quàm fortè in exitium præcipitem abire sineret, volebat. Itaque lacrimas etiam ac sanguinem ejus redimendæ constantiæ impendit. Sed frustrà. Pertinaculus ille obstructis ad omnia hortamenta auribus, animum ad defectionem obfirmavit. Ergo quondam benè mane, ad ædiculam intra urbis quidem mœnia sitam, sed à tirocinio dissitam eduxit, ibique sæculares vestes ei reddidit. Dum induit, suis exiit se Vincentius, & ultimùm experiturus, num adolescentem sibi à dæmone abreptum, revocare ad se Deumque posset, concisos flagris humeros, plagisque confectos illi ostendit, sperans hoc aspectu emolliendum ( nec enim desperandam victoriam, quamdiu prælium duraret ) atque ut illius animum feriret altius, addidit se donec hūmeris caro sanguisve superaret, non destitutum suo sanguine pœnas ejus levitati debitas lueri, quoad vocanti Deo fortiter se redderet. Sed enim tanta charitatis argumenta in faxeum pectus nihil potuère. Abire igitur permisit, quò libido rapiebat. Et

M                      dubio

dubio procul majore ipsius quàm Societatis damno. Ingenia enim Societati semper suppetent, quippe eorum altrici & educatrici, maximè quamdiu in eà virtus florebit, moderatrix ipsa & pædagogica ingeniorum. At desertoris istius occasione relictum esse posterorum memoriæ exemploque, tam eximiæ charitatis Præsidium in vacillantes pignus; id verò illius adolescentis jacturam supra, quam nimis compensat.

Ejusdē  
cura  
prodigi-  
osa  
corpo-  
rum

Atque hætenus hîc dicta Vincentii curam animarum commendant: Unicum hoc prodigium indicat abundè corporum. Invigilabat bonus Pastor gregi suo, non interdium dumtaxat, sed & noctu. Quondam evênit, ut cùm reliqui omnes somno se dedissent, conclavi suo egressus ministrum adiret, jussùmque sine mora cubitu surgere, sollicitè instantèrque ad cellam P. Joannis Baptistæ Tuso mitteret, caurum ne quid illi sinistri accideret. Et profectò præsentissimum erat discrimen. Cùm enim introisset Minister, ipsum quidem profundo immersum somno offendit, at simul adjacentem lecto ceratam resticulam ardentem, quam restinguere

reftinguere dormituriens oblitus erat, jámq; ad imum ufque confumptam, cœptantémque adurere lecti lintea. Et periculum instabat ne flamma fenfim augescens dormientem involveret: sed ambo igni statim extinguendo incumbentes, illud amoliti sunt. Intellexit porro Pater Joannes Baptista, cui tam opportunum necessariúmque remedium, & adeo vitam deberet. Nos verò exploratum hinc habemus Moderatoribus paternum in suos pectus curámque gerentibus, Deum ut communibus filiis patrem matrémve se probet, nec prodigiis parcere.

## C A P U T XI.

*Vincentii suprema Romæ beneficentia in agros ac egentes.*

**P**Riusquam felicem divini hujus viri obitum describendum suscipiam, visum est ejus occasionem referre, quippe ex qua egregia illius laus efflorescit. Semper illum ardens desiderium tenuit non modò brevi moriendi (ob sanctam animi

Vincentii desiderium pro Christo moriendi

M 2

ad

ad Deum, supremum utique bonum ac finem suum, anhelantis impatientiam) sed & moriendi, conceptâ ex ministerio contagiosorum morte. Cum enim pro eâ, qua flagrabat, Martyrii cupiditate, integrum ei non esset post exantlatos Evangelio disseminando labores, in aliquâ Indiarum plaga, sanguinem vitâque fidei causâ profundere, id proximum videbatur, ut, velut in solatium negati martyrii, charitatis in ægros præstitæ gratiâ generosè occumberet. Itaque eo tempore quo Italiam sollicitavit metus illius contagionis, quæ paucis post annis per universam immaniter grassata est, Vincentius Novitiorum tunc Magister Neapoli, ad Reverendum admodum Patrem Mutium Vitellescum Societatis Jesu Præpositum Generalem litteras dedit supplices, ut quamcumque urbem, in qua degeret, pestis invaderet, copia sibi fieret, eâ afflatis de Societatis more ad salutem animarum inserviendi. Et hanc sui devotionem concepto ex Moderatorum venia voto firmavit. Inventum illud est ab illius obitu sua ipsius manu exaratum, in hæc verba. *Ego Vincentius Carafa,*  
*peccator*

peccator indignissimus, voveo coram Sacratissima Virgine Mariâ, Angelo meo Custode, & Curia caelesti universa, ubicumque fuero, ubi pestis ingruerit, facultate accepta à meis Superioribus, tali morbo affectis inservire: ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. Amen. 10. Augusti. Die S. Laurentii 1624. Quoniam autem Deo visum est, tum quidem Neapolitanam urbem pestis immunem tueri (utique civili bello, quo postmodum miserè arsit, reservatam) non potuit vir piissimus desiderio ac voto suo obsequi. Semper tamen utrumque animo hæsit, simulque opinio ratæ imposterum facultatis obligationisque utrumque exsequendi, tametsi non tam pestis, quàm alterius generis morbus esset, modò commercio ipso, & & afflatu valentibus noxius. Et aliàs quidem atque alibi fidem illam Deo datam liberavit, sed postremo ac potissimè Romæ. Quamquam enim ad Societatis clavum jam sedenti, spes illa, studio divini amoris, charitatisque fraternæ, caput morbis ac morti objectandi, erepta videri posset; haud tamen difficilè fuit

amantissimo Numini tam pio servi sui desiderio explendo amplam suggerere ansam : ut quæ Vincentii vitam sibi omnino vindicaverat charitas, mortem ex merito coronaret. Et Romam quidem elegit, ut & illa illustrior esset, ejusque exemplum fructuosius, & hæc orbis caput, ac Sanctorum palæstra, etiamnum sibi se similem gratulari posset.

Initium  
dat sub-  
levandæ  
publicæ  
necessi-  
tati.

Igitur anno 1649. (quo anno ob proximè præcedentis sterilitatem summa fuit annonæ in Italia difficultas) innumeri pauperes Romam, tamquam ad commune perfugium confluxêre, ut imminentem à fame mortem mendicata stipe evaderent. sed quia eorum multitudo ingens erat, & robustiores mendicandi promptitudine debilioribus officiebant, factum est ut ex his subsidio destitutis, cum non haberent, quò se reciperent, plurimi mediis in plateis languidi, nonnulli miseris ac fame enecti jacerent. Vincentius itaque, cui velut innata erga egenos benignitas, scilicet ex horum auditu aspectuque incredibilem animo dolorem hausit. Quare principiò misit quosdam è Domo Professâ Patres Fratresque panibus

panibus ac vino instructos, iis utcumque refocillandis, quibus vires deerant ad mendicandum: tum agitare secum & cum aliis cœpit, qua ratione prospici publicæ illi necessitati posset. Sed qui consulebantur, vim maximam hominum cum maxima annonæ penuria componentes, frustra de eo quæri censebant, quòd supra facultatem esset. Itaque etiam à cogitatione subsidii, non modò à consilio Vincentium abducere nitebantur. At Sanctorum mens, ut increato lumini est propior, ita clariùs videt; & Charitas, ut de divina flamma plus participat, sic diffidentia frigore minimè se tangi, nedum hebescere patitur. Hæc igitur Vincentium impulit, ut subsidio publico initium daret; spemque fecit fore, ut Deus, pauperum Pater ac fautor, conanti vires viasque suggereret tantæ calamitati succurrendi; quòdque ipse per penuriam suam utcumque inchoaturus erat, aliorum ope operaque perficiendi. Denique centum ducatis nescio quâ aut unde acceptis, egentium negotium agere instituit. Venit illi primùm in mentem opulenti cuiusdam hominis, qui nuper



favente Numine multa millia aureorum ex quadam negotiatione lucrificerat. Rogat Hispaniæ Assistentem, cui is probè notus, stipem ab eo petat in pauperum usum: acquiescit ille, & spe amplio-rem obtinet. Insuper ab eo monetur Cardinali Albornos incessisse desiderium grandem nummorum summam egentibus largiendi. Bonum factum! nec sine Numine. Neque enim aliud quidquam morabatur egregium Ecclesiæ Principem, quàm quòd ad manum non esset vir prudens & industrius qui cum fide credendam à se pecuniam distribuere. Cùm ergo R. Pater Assistens Vincentio auctore ad eum adiens, consilium hujus Dei servi de pauperum subsidio exposuisset, mirà lætitiâ affectus, grates egit cordium arbitro, quòd tam egregium beneficentiæ suæ administrum sibi in tempore providisset. Confestimque præcepit, ut nullâ interpositâ morâ quingenti ducati ad Vincentium mitterentur, quibus haud multo post ducentos adjunxit, cum decem vini modiis: & præterea promisit collaturum se in solidum non minus bis mille ducatos, imò quantum  
Vincentio

Vincentio petere placitum fuisset. Demum dignâ Ecclesiastico Principe munificentia, subjunxit, si in opus tam necessarium, ac Numini acceptum nummi sibi deficerent, promptum paratum se, universam palatii sui suppellectilem iis cogendis divendere.

Neque tamen illius munificentia suffi-  
 cere Deo visa est compensandæ Vincen-  
 tii fiducia. alios quoque in subsidium  
 publicæ necessitatis, ipsius gratiâ submi-  
 fit. Quos inter eminuit Cardinalis de la  
 Cueva, qui vel una largitione quingen-  
 tos aureos in pauperum ærarium intulit.  
 Itaque hoc apparatu panis, caro, oriza, &  
 legumina coëmi cœpta: impressæ item  
 typis, signatæque scedulæ, ad multa mil-  
 lia; & cum à Nostris totam Urbem per-  
 lustrantibus, obviis pauperibus tributæ  
 essent, quisque in Kalendas Apriles Do-  
 mum Professam invitati ad stipem. Et  
 abhinc confluxere illuc ingenti numero:  
 nulla tamen confusione. Nam extima  
 plateæ, quæ palatium S. Marci, Domum-  
 que Professam interjacet, repagulis oc-  
 clusa: intra quæ omnes egeni cogeban-  
 tur, mulieres illinc cum pueris, hinc è  
 M 5 regione

suble-  
vandi  
ratio

regione viri, & inter utrosque stips erogabatur: in singulos panes bini, jusculum item & aliqua vini portio. Dispertiti in id operæ Domûs Professæ Sacerdotes omnes; etiam Assistentes negotii tam pîi partem ultro amplexi, simulque illustriores è Collegio Romano Patres. Hi ordine pauperes componere: illi panem impertiri: alii vinum, alii jusculum: tabellas alii parare, alii tradere egenis in sequentem diem: omnes caritatis officium, quod sortiti erant, sedulò curare. Sed inter omnes insudare Vincentius maximè, insignioremque, quàm aliàs solitus esset, præferre hilaritatis speciem: tametsi plus negotii pauperes illi, quàm cuiquam alteri dabant. Effundere se cum stipe videbatur: quam & largiorem quàm reliqui donabat, & ferè quantam flagitabant. Nec enim dimittere à se mœstos poterat, aut spe frustratos. Quin & piâ illorum fraude delectabatur, seu dum ampliùs quàm constitutum erat, peterent, acciperentve; seu dum iteratò ad stipem venirent. Cùm autem de aliquorum ejusmodi dolis commonefieret, amicè dolentérque rem excusans, dicebat  
non

non cupiditate fallendi, sed merâ necessitate ad id eos adigi: & si quid aliud peccatum ab illis esset, illud omne qualecebat excusatione tegebat, nempe qui Christum in egentibus intuetur, eorum vitia vel non videt, vel præ Christo, non vult attendi. Itaque Patris animum in eo experti, tamquam patri proprias quisque difficultates rei familiaris exponebant, earumque levamen supra communem stipem deposcebant. Præterea dum egentes ordinarentur, plateam circumiens, seligebat è pueris pannosiores ac squalidiores, domumque introductis simul manu sua porrigebat cibum potumque, simul tradebat Christianæ fidei elementa, ut animum unâ cum corpore pasceret.

Junxit se porrò mendicabilis hisce, non modica honestiorum multitudo, ad extrema redactorum: Sacerdotum præsertim ac Religiosorum, civium quoque & artificum, quibus provideri pro conditione curavit. Eapropter jussit in ampliore aliquo cubiculo Domûs Professæ apponi sternique mensas aliquot, centum partim Sacerdotibus, partim Religiosis:

Etiam  
Sacer-  
dotes &  
cives  
honestiores  
ad extrema  
redactos,  
itemque  
memb-  
ris captos

giosis : & aliquot è plebe honestioribus ; dumque vescerentur , librum pium legi , ut & hi hac lectione mentes pariter refererent . Dum hæc aguntur , animadvertit amantissimus pauperum Pater , in tanta eorum frequentia nullos propè adesse cæcos , aut mutilos , mancosve : quos tamen plurimos urbem habitare constabat : & continuo Sacerdotem mittit , qui per celebriora illius loca , templave quaesitos ad stipem vocet , eorumque nomina albo inscribi curet . Nec diu se rogari passi , adfluxere primo ipso die centum & duodeviginti , atque in atriense septum Domus Professæ coacti communi stipe donati sunt .

frequē-  
tia lar-  
gitasq;  
specta-  
torum,  
& pietas  
egentiū.

Ceterum excivit hæc caritas Præsules , Proceresque haud paucos ad sui contemplationem . Delectabat enimverò illos cernere Generalem Ordinis Præpositum , inclyta domo , virtuteque , necnon alios prudentiâ , virtute , ornamentisque reliquis clarissimos viros , mendiculis laceris ac foetentibus , tanta cum animi demissione , benignitate atque hilaritate , inservientes . Addebat stimulos ad visendum , pauperum pietas , qui prius  
Litaniâs

Litanias B. Virginis, aliâque pia carmina concinebant, quàm stipem acciperent, præcentoribus Scholasticis nostris aut Tironibus, ad majorem concentûs modulationem modestiâmq̃. Nec sterile spectaculum erat illius seu caritatis seu pietatis; corda etiam spectantium intimè penetrabat, manusq̃ pandebat liberalitati, quippe in tam salutare usus. Fuere qui clanculum per ignotos homines, fuere qui coram & extemplo magnum pecuniæ numerum conferrent ad eleëmofynæ continuationem. Ex his Dux Cæsarini, & Domini Falconieri, currus onustos pane vinoq̃ miserunt. Georgius Bernardus Comes d'Herbesteim, Adolescens prænobilis, & Ecclesiarum Cathedralium, Ratisbonensis, Passaviensis, & Uratislaviensis Canonicus, Collegiique Germanici inquilinus, per id tempus fato concedens, publicæ necessitati sublevandæ insignem pecuniæ summam attribuit. Sed quod pluris pendendum arbitror, Judæi ipsi maximâ frequentîâ theatrum illud Christianæ caritatis invisebant: atque ut exemplorum vis magna est in utramque partem, & fidei divinæ

veritas,

veritas, ex rerum quæ credendæ proponuntur, honestate probitateque æstimatur, nonnulli ex iis exemplo illo permoti Christianam fidem amplexi sunt. Quin etiam compertum est, quemdam à fide avitâ transfugam, quem parens ex Hispania fugiens, adhuc sexennem abduxerat in Turciam, & Mahometicis sacris initiandum curaverat, cùm à Christianis captus, & in servitutum redactus, ex eorum manibus se Romam proripuisset, contemplatione illius caritatis medullitùs tactum, Mahometem ejurasse (posteaquam quadraginta annos illum coluerat) & operâ nostrorum in gratiam cum Ecclesia rediisse. Adeo leniter altèque in animos influit charitas! adeo etiam pertinaces emollit!

Noctu pauperes in partem Collegii Romani excipit: fovetq; mira benignitate

Ne quid autem illi charitati deesset, cùm mendicis compluribus nec domus esset nec diversorium (quo fiebat ut noctu sub dio cubitare cogerentur) iis recipiendis granaria Collegii Romani assignavit, viæ, quam Pantani vocant, adstruenda. Illic plus centenos lectos instrui curavit, in quibus, quàm commodissimè fieri posset, egeni quiescerent. Porro singulis

singulis sub diei serum sua quotidie cœnula mittebatur, simul & magistri fidei virtutisque Christianæ: nam liberalitas optimum doctrinæ vehiculum est; & virtutis semina apertis largitione animis promptiùs accipiuntur. Ipse sanctus Generalis frequenter eos, amicissimèque invisebat, & honori gloriæque sibi ducebat, illis ministrare. Quoniam verò eo etiam ægrotantes irrepebant, ipse illis partim consolandis, partim refocillandis cupedias porrigebat: quaque poterat ratione, nauseabundis ciebat appetentiam. Matrem sedulam dixisses: & revera matrem fecerat caritas, quæ materni in pauperes pectoris sensus affectusque ei impresserat. Sed tamen prior eidem cura animorum, quàm corporum. Quam curam nihil imminuebat, aut morabatur egentium squalor, aut locorum in quibus versabantur fœtor haud modicus: verùm acuebat potiùs, & hilaritatem insuper promptitudinémque subveniendi addebat. Ita cupidus adjungebat se illis, quorum aspectus horrorem ac nauseam creabant. Quondam visus est plus horæ spatium flexis humi genibus & prono capite

capite



capite unum atque alterum puerum ægrum, ritè peccata fatentes, audire, loco tam horrendum in modum putenti (erat enim mera valetudinarii cloaca) ut illi, qui quippiam operis illic expediebant, medicatos odores, ne fœtore opprimerentur, naribus opponerent. Et fuit laboris non leve pretium: inde enim cùm surrexisset, apparuit Vincentii toga vermiculis referta: id quod ipse in deliciis reponebat: quare de iis monitus, idem quod S. Ludovicus Episcopus Tholosanus pari occasione, pronuntiavit, *Hæc esse pauperum gemmas.* Nec dubium est quin potiores optabilioresque Indicis illas duceret.

Trans-  
feruntur  
paupe-  
res, &  
Vincen-  
tii cari-  
tas in  
palatiū  
S. Joani-  
nis.

Perstitit hæc publica benignitas duos ipsos menses, Aprilem & Maium: & verò ad sequentem usque messem perducta fuisset, nî communis omnium Pater INNOCENTIUS X. necessitati aliter providisset. Sapienter itaque edixit, ut mendici omnes per urbem dispersi, vagique, in palatium S. Joannis Lateranense, concluderentur: superna ædium illarum regio in Nosodochium verteretur: in veteribus ædificiis, *Loco di pietra* dicto adjacentibus

adjacentibus sedes aliquæ foeminis panderentur. Et totum illud negotium imposuit Vincentio, qui Patres, Fratresque illi præfecit. Itaque novæ necessitudini novi lecti, culcitæ, lodices, lintea, vasa, mensæ, cæteraque supellex parata. universa in mille pauperum usus. Curabantur omnes à Nostriis, quorum deni aut octoni ad S. Joannis, à primo mane ad vesperum usque illis famulabantur; seu corporum, seu animarum necessitates operam subsidiumque exposcerent. His additi Tyrones & Scholastici Societatis, non egentium magis, quam ipsorum compendio; ut nimirum Instituti nostri spiritum interea haurirent, studium, inquam, fraternæ caritatis, Christianæ humilitatis, & victoriæ sui pravæque affectionum, contemptus quoque vitæ, dum res fert, & Christi proximi que obsequium. Nam mortis horrorem aut pericula excusare ac fugere dum Christus & caritas vocant, haud sanè Jesuiticum est. Et laborum & vitæ vectigalis est, qui Christo in hac Societate dat nomen. Neque defuerunt hoc tempore è Nostriis qui repræsentarent vitam, quam utique

N

conta-

contagiosus loci & ægrorum halitus sustulit. Cæterùm Vincentius suam præcaritate vilem habens, quoties per Assistentium assensum & negotia licebat (nam officio ne momentum quidem temporis suffuratus umquam est, vel proprio ex oratione solatio, vel subsidio externorum) ad S. Joannis se conferebat, egenisque inserviebat. Atque hic etiam impigræ fervideque caritatis specimina haud pauca edidit: nam sordidissimo cuique ac foetentissimo adhærescens, in humilissimis famulabatur: debilibus cibum in os porrigebat: nauseantium condiebat escas. Et fuit cùm puero querente gementéque jusculum suum non satis esse salitum, cucurrit ipse ad salinum, & pro pueri appetentia propriis manibus salem jusculo insperfit.

Quæ  
pericu-  
lo con-  
tagii nõ  
terretur;

Erant, qui justissimo metu properandi obitus tanti tamque necessarii viri, identidem eum obsecrarent, ut loco tam periculoso abstineret. Enimverò à pestifero nihil admodum abesse: suffectos isti ministerio adeo industrios operarios, ut eorum prudentiæ ac benignitati cura omnis facile tutoque concredi posset.

Cavendum

Cavendum capiti periculo membrorum; si discrimen ingruit, non caput ultro illi objiciendum. Quibus ille metuere nescius, & utcumque caderet, securus, reponebat ejusmodi ministeriis unice se delectari: non videri fraudandum Generalem continuis gravissimisque negotiis distentum, tam optato laxamento. Ut aliquod periculum foret, in oculis esse Aquavivam pariter Generalem, qui pari occasione per sese pauperibus & ægris famulatus, successoribus suis exemplum simul & facultatem ostendit exhibendæ in filios Dei, fratresque nostros caritatis. Ita ipse.

Et sanè non secus ac si famulatus ille, Sed gaudet unice hoc famulatu merum esset oblectamentum, mirè illo capiebatur: nec minimam illius partem sibi excidere sinebat: inchoatumque subinde mane, ad serum usque diei continuabat: nisi quod meridie sumendo prandiolo interfistere cogebatur, solis pane, vino & caseo contentus; quibus, in delicias, medium exigui limonii, quod Romæ vulgare est, addebat. Sacerdos quidam è nostris corrigendo moderandove putori, quem aura vitiata inhalabat, pomum

Præfer-  
tim ani-  
marum  
causâ  
fufce-  
pto.

auratum illi obtulit. Respuit ipse, nec  
semel: causamque reddens, *Odor hic*, in-  
quit, *odor est paradisi*. Ita scilicet illi ar-  
ridebat. Sed ut animarum salus longè  
præstat corporum saluti; sic multò illi  
potior & in hoc S. Joannis valetudinario  
fuit. Aram in majore ejus aula erigi in-  
struique curavit, binasque ad noxarum  
confessionem sellas. Et in ea quam pri-  
mam instituit synaxi, voluit ipse mendi-  
cabulis illis Panem Angelorum imperti-  
ri, licet primos morbi lethalis assultus  
sensisset: quo paucis post diebus extin-  
ctus est. Ut puerorum, qui frequentes  
erant, mentes fidei ministeriis imbueret  
blandiùs, submittebat genua vir tantus,  
eosque incredibili patientia instruebat:  
quosque attentiores, avidioresque pro-  
gressus cernebat, munusculis donabat.  
E viris autem plurimi illius ac nostrorum  
operâ Deum deinceps impensius colere,  
& Christianis sacris frequentius defungi  
omnino statuere. Turca etiam quispiam  
hoc caritatis exemplo permotus, Maho-  
mete repudiato se Christo dedit. Cùm  
hic morti proximus crederetur, Ba-  
ptismum expetierat. Utque eo ritè  
fungeretur,

fungeretur, subjectis corpori fortium virorum brachiis aulæ illatus erat. Vix expletis baptismi cerimoniis, animam agere & in singula momenta exhalaturus visus est. Vincentius ergo Christo jam genitum lætus, in Pontificis sacellum, ubi lectus è Domo Professæ ejus jussu delatus & apparatus erat, deferendum curavit. Delato comitem adesse voluit Sacerdotem ad mortem usque, quam pauculis post horis obiturus credebatur. Sed vix in lecto quievit, cum vigoris ac virium illi tantum divinitus accessit, ut è mortuis suscitato similis esset. Cibum poposcit, noxas anteactæ vitæ omnes coram Sacerdote recognovit, & paucos intra dies integram valetudinem recuperavit. ut morbum illum felicem dicere possis, quem sanitas duplex sic exceperit.

Denique & hoc præstitit Vincentius Et sanatis vestes providet. charitati illi omnibus numeris absolventæ, ut cum vestium penuriâ egeni nonnulli propè nudi ex valetudinario jam valentes discederent, vestes eis provideret. Atque ut ad illam caritatem instituendam de suo aliquid primus ipse contulerat; ita & contulit ad perficiendam.

Centum aureos donaverat quidam è nostris ad sacellum S. Ignatii decorandum. Vincentius ergo ratus S. Patri antiquius fore, ut Christi membra vestibus quibus indigebant, quàm sacelli parietes velamentis non necessariis instruerentur, eos ipsos aureos illis coëmendis destinavit. At brevi aliunde succrevêre hanc in stipem nummi, obediente velut Numine fiducia Vincentii: ut & alios ad idem caritatis officium impelleret. Coëmpta itaque indusia, calcei, pilei, & vestes magno numero: atque his pauperes induti, cum prius nostrorum operâ, ordine à Vincentio præscripto in opus succedentium, loti fuissent. Hæc fuêre postrema Vincentii officia, argumentaque intimæ in pauperes, atque in Dei filios benignitatis. Ex his evocatus à Deo est, ad præmium utique vitæ omnis, ejus amoris penitus insumptæ, & mortis ejusdem cultui obitæ.

## CAPUT XII.

*Vincentii ardens mortis desiderium, Supremus morbus, & mors.*

Super Sanctorum vita haud leviter inter se discrepant sententiæ votaque. Nam qui illis familiariter utuntur, propter exempli fructum, eam velint esse immortalem: ipsi verò etiam brevem dolenter ac graviter ferunt, celeremque mortem in beneficiis numerant. Quippe Illius vehementis desiderium mortis cælestes animæ, terræque contagio liberæ, cum corpus pro ergastulo habeant, gemebundæ ad cælum aspirant, ut Deo suo, bonoque immenso perfruantur. Quocirca dum mors cominus se illis ostendit, cum intimo lætitiæ sensu cingnæum in morem concinunt: velut ad auroram beatitatis. Hic ipse Vincentio fuit sensus, hæc summa, dum vixit, votorum, Deum, finem ac summum bonum suum obtinere. Quondam ambulabat comite Sacerdote, quem assiduum



itineris socium sibi delegerat, quippe cui tutò posset exæstuantis identidem pectoris affectus prodere. Post longum silentium, animique secum habitantis occupationem, tandem velut è profundo somno experrectus, ad eum se convertens, *Profectò quotidie morior*, ait. Ad hoc Sacerdos arbitratus eum de suis continuis doloribus ex nimia corporis maceratione enatis agere, maximè quòd tunc temporis algeret, subjecit, se miserari Vincentium, viderique moderandam ipsius inclementiam in seipsum, & valetudinem curandam. Tum ipse, *Hei mihi!* exclamat, *Quàm malè mentem meam assequeris? Morior, inquam, quia non morior. Nam spes quæ differtur, affligit animam.* Qua etiam de causa ferebatur ad asperrimos sui cruciatus: quod quemadmodum lima mancipii catenas excindit, sic & illi cruciatus animæ vincula; ut citiùs corpore soluta ad libertatem filiorum Dei evolet. Propterea nunquam sibi persuaderi passus est, ut de corporis castigatione quidquam remitteret, quamquam non nesciret per eam vitæ spatium contrahi. *Quò enim fieri possit,*

possit, aiebat, ut cæno immersus cum periculo corruendi in ingentia præcipitia, non continuò continentérque calcaribus equo subditis, enitar ad emergendum, currendúmque in patriam, ubi felicitas æterna me manet? Proponebatque sibi B. Aloysii Gonzagæ exemplum, eodem consilio voluntarias pœnas cumulantis, ut corporis ergastulo brevi solutus aspirare ad Deum valeret. Quòd si quis illi <sup>ejus</sup> objiceret, pro laborum Numinis causâ <sup>causa.</sup> susceptorum multitudine ac diuturnitate gratiam ac merita crescere, atque ideo vitam longiorem esse expetendam; ille satis gnarus gloriam omnem humanam, utcumque summam atque æternam, postponendam vel uni ac minimæ Numinis offensæ, de suæ augmento nihil sollicitus, atque adeo objecti velut immemor aut negligens, & quasi in una cogitatione, votóque brevi migrandi, defixus, illud Augustini alia occasione dictum reponebat: *Si aliquando, cur non modò?* nimirum emigro ad fruendum Deo meo, ac summo bono. Proinde vehementer mirabatur, Christianos homines, maximè, si religiosam vitam sectentur, longioris

vitæ infatiabili cupiditate teneri, & mortis propinquitate percelli. Dicebatque capere se non posse, quî fiat, ut quis prorogari sibi vitam velit, si intelligat quid & quantum sit Deo potiri æternum, ejusque post obitum potiundi spem non debilem alat. Nam si mortis fuga non ex supervacuo vitæ amore (qui mœstitiæ fons ægris esse solet) sed ex infaustæ æternitatis metu nascitur; id quidem veniâ dignum, tamen haud probabile: quòd crimina nostra & plurima sint & maxima, tamen nihili æstimari debeant ad immensam amantissimi amabilissimique Numinis bonitatem. Si enim optimus Redemptor, ut disputabat Augustinus, mortem quæ tanto illi constitit, nobis ultro impendit, non ambigendum quin donaturus sit vitam divinam, utique nullo ipsius impendio donandam. Quapropter non religiosos modò homines, sed & Catholicos, qui virtuti dant operam, planè omnes, assererat, tam certam spem salutis, fixamque animo habere oportere, ut si oraculo promissa sibi singillatim fuisset.

Excita-  
tur oc-

Cùm quis domi vitâ excedebat, solito  
sereniùs

sereniùs micabat illi vultus, nempe erecta casione  
 ad præsentem ejus obitum spe brevi il- mortis  
 lum ad beatam vitam sequendi; neque nostro-  
 divellere se à cadavere poterat, subla- rum &  
 tisque in cœlum oculis, *Quàm felix est*, morbo-  
 exclamabat, *quàm felix!* Quondam inti- rû suo-  
 mus illi Sacerdos hac agendi loquendi- rum.  
 que ratione piè commotus, ut fructuo-  
 sum animæ suæ responsum è Vincentio  
 eliceret, præ se tulit illius admirationem.  
 Cùm enim Patre Gabriele Mastrilli vita  
 functo, Vincentius insuetæ lætitiæ speci-  
 men dedisset, *Siccine*, ait Pater ille, *dili-*  
*gis amicos?* (nam Gabriel Vincentio caris-  
 simus erat, ex quo ambo utiliter ad Apu-  
 liæ quædam oppida excurrerant) *num-*  
*quam ego te vidi tam lætum illius vita,*  
*quàm morte iam video: Alii sublatum*  
*lacrymantur, tu gaudes. Ita res habet,*  
 subjicit Vincentius, *gaudium dissimula-*  
*re nequeo: quando virum mihi percarum,*  
*ereptum considero huius acerbæ vitæ mi-*  
*seriis, præsertim cùm innuere videatur,*  
*haud diu me sibi superstitem, adeoque brevi*  
*felicitatis ipsius consortem fore. Ita ipse.*  
 Neque verò ipsa mortis pericula; &  
 objecta illius facies proximum casum  
 minantis,

minantis, eum à sententia desiderioque ut fit, absterrebant. Tibia illi ulcere laborabat, ex quo gangrenæ atque adeo mortis metus alios sollicitabat: ipse rogatus, ut cœli Reginæ voto nuncupato, pro valetudine supplicaret, *Avertat Deus, inquit, numquam gratiâ sanitatis votum concipiam. Optimam illam Matrem haud agrè obsecrabo, ut si ex hoc morbo minimè mihi moriendum sit, eius ope brevi convalescam, ne desidiâ hoc in lecto torpeam, proximo inutilis, & fratribus nostris prægravis.* Aliàs in horribili illa Vesuvii montis inflammatione, quæ sub finem anni 1631. contigit, cùm tellus circumjacens tam crebris ac vehementibus motibus intremuisset, ut Neapolis tota quatesieret, ceteris terrore perculsis, nihilque nisi rectorum muro-rumque stragem, qua & ipsi contererentur, expectantibus, Vincentius contrà gestiebat, quòd templi nostri ruinâ, quam assidua concussio minabatur, sese brevi involvendum speraret. Et postea cùm mons ille flammam identidem evomeret, contulit se in oppidum ad ejus radices situm, igneoque velut fluvio isthac devoluto

devoluto desolatum: cumque socius metu subitæ ejusmodi flammæ eruptionis ad accelerandum inde discessum urgeret, *Otinam*, exclamavit, *quod times, frater, mihi contingat! Quid enim nobis optabilius, quam ut apertam cæli portam hîc inveniamus, quam tam diu expeto!* Quin aliàs dum à mensa tantisper animum cum aliis relaxaret, quæsitumque ab illo esset, an eo etiam loco libens occumberet; *Libentissimè*, respondit: *Quidni etenim? videturne tibi locus esse ullus in Orbe terrarum, ubi tantus favor recusandus sit?* Nimirum homini qui exilium suum sentiebat, non poterat non acceptus esse omnis locus, ubi ejus terminum posset indipisci. Qua etiam re dum à morbo convalescebat, mœrore languidus jacebat, utpote spe sua falsus, & velut è cæli aditu, cui vicinus erat, in exilium & carcerem retrusus. Denique ut desiderium suum spemque mortis pasceret, ac solaretur, variis atque honorificis titulis eam invitare in more habuit, orare item ut brevi ipsum corriperet, ad Deum suum deducendum. Et desideria illius precésque potentiores fuere ad eam exorādā, quam

quam

quàm nostra illius inopia, ac necessitudo, ad deprecandam.

morbi  
occafio  
& mor-  
bis le-  
thalis

Igitur tanta cura pauperum ægrorum-  
que obfequio fe addixit, (nominatim in  
valetudinario S. Joannis Lateranensis) ut  
lethalem morbum contraxerit: quem  
præsentiscere cœpit 27. Maii 1649. nec  
tamen aperuit vel poſtridie, etſi ingra-  
veſceret, dolorem de more ſuo ſilentio  
tegens. Quippe niſi neceſſitate coactus,  
domesticum Noſodochium ad ſui cura-  
tionem non ſubibat. Quod tempus vo-  
care ſolebat *extremum potentia natura-  
lis*, quando ex debilitate dolorève non  
valebat ampliùs incedere. Et duplex erat  
hujus conſilii ratio: partim quòd febric-  
culâ ſæpiuſculè tentaretur, ortâ ex vete-  
ri humorum intemperie, quæ nativam  
ejus conſtitutionem vitiaverat: partim  
quòd ſibi metueret non inſuetam non-  
nullis infirmitatem non tam corporis  
quàm animi, morbos ferè, prout timet  
aut malè conſtitutus eſt, corpori affin-  
gentis; quos virtus potiùs quàm medica  
aut delicata curatio ſanarit. Ejuſdem  
menſis 29. quæ in Sabbathum Virgini ſa-  
crum incidebat, non omiſit dicatum  
eidem

eidem Immaculatæ Virgini obire culinæ ministerium ; ac deinde de genibus intriclinii medio prandit ; at ægrè & parcè. Vesperi vix in pedes stare aut se sufferre poterat. Quare tum demum eatenus morbo cessit , ut iis quorum intererat , illum indicaret. Exinde deterius in dies se habuit , usque dum malignitas febris certis indiciis manifestò deprehensa est. Lætissimus inter nos agebat , sanè mœstos tam præstantis viri periculo pariter ac universæ Societatis : neque ullum dabat umquam argumentum vel mœrentis animi , vel vim morbi non fortissimè ferentis. Id tantummodo petiit , ut quoad ejus fieri poterat , solus esse sineretur , quo scilicet vitæ residuum omnino cum Deo exigeret. Præfagiebat enim hanc invaletudinem supremam sibi fore , prout ex oraculo acceperat Neapoli Romam sibi migrandum , atque inde brevi in cœlum. Quod augurium mortis , sermo illius cum quodam è Patribus confirmavit. Cùm enim hic arbitratus Vincentium æquo crebriores litteras publicas , legesque Provinciis Societatis perscribere , objiceret illi antecessores Generales in  
co



eo genere moderatiùs egisse ; sapienter illi subjecit Vincentius : *At mihi, qui citiùs hoc munere defuncturus sum, brevè quod cogito, faciendum, ne numquam faciam.*

modus  
moriē-  
di

Porro è lectulo semper oculos in signum Christi cruci affixi, vel B. MARIÆ Virginis intentos ac defixos habebat. Quoniam autem suspirabat identidem, percontatus est non nemo, ecquid malè haberet: num qua re indigeret. *Nulla,* respondit; *neque suspiria ista dolor, sed consolatio exprimit.* Nec verò causa fuit ambigendi: nam aliàs cùm ad mortem laboraret, amico perfamiliari asseruit, sese ex conscientia tantillæ operæ, quam adhuc Deo impenderat, tantam haurire voluptatem, ut vix animo capere posset: *Quantà,* subjunxit, *futura est, quando post alios eiusdem Numinis gloriæ exantlatos labores, optimus Pater ac munerator noster morbum, quo extinguendus sum, servulo suo immiserit?* Quoniam verò nihil umquam petebat, iis quæ circa illum, aut ipsi fierent, contentissimus, quondam familiariter illi diximus, fieri non posse, quin aliquare, officiove, quãdoque opus

opus haberet, cum tamen nihil unquam  
 posceret; Ad quæ ipse, *Quid velle, inquit,  
 potest, aut petere, cui adsunt omnia?*  
 Deum innuens, qui unus est omnia illi,  
 qui ipsum possidet & possidetur ab ipso.  
 Quod responsum dedit vultu & ore cæ-  
 lestem hilaritatem ita spirante, ut nos  
 intimo pietatis sensu affecti, & in lacri-  
 mas effusi, nihil ultra reponere aut fari  
 possemus. Medico morem gerebat ad  
 nutum, & quamquam non sine gravissi-  
 mo labore surrigere sese è strato valeret,  
 ad nonnihil cibi potúsve sumendum;  
 quamdiu tamen collectis viribus potuit,  
 quidquid præbebatur, sumpsit. Cum  
 quis aliquando Medicis suggessisset hæc  
 & ista illius gustui magis arridere, ipse  
 homine placidè & sine interruptione  
 audito, conversus ad Medicos, *Domini,*  
*ait, quidquid lubet, præscribite, nullius*  
*rei habito respectu: siquidem, Numine*  
*propitio, quidquid nomine vestro mihi por-*  
*rigetur hærriam.* Et observatum est, si  
 quis per immodicum amoris affectum,  
 aut incogitantiam importunior illi foret,  
 nullum molestiæ signum ab eo præbitum  
 fuisse, tametsi, qui præsentés aderant,

O

NON

non nisi gravatè intempestiva illa officia spectarent. Sub vitæ finem cùm mente aberraret, quod B. Xaverio contigisse ferunt, illud quoque Vincentio usuvenit, ut sermo illi omnis de rebus divinis, atque ad regimen spectantibus esset. Nimirum insitæ sanctimonix radii, ut sæpè nolenti atque invito, ita & mente destituto foras erumpunt, virtutis habitu quem cogitationes piæ, probæque actiones peperere, naturam agente, atque ad similes impellente. Ceterùm proximè ante aberrationem, quot diebus SS. Eucharistiam exceperat, ac postremo in viaticum: quo postremo tempore qui aderamus, omnes mirificè ad pietatem amoremque sui permovit. Præfatus enim est, antequam divino pane se reficeret, se de sacro Viatico sumendo magnâ suâ voluptate monitum, maximâ participaturum: quando Sanctissimum Eucharistiæ epulum vitæ quidem tempore ejus amaritudinem mitigat, sub mortem verò in Viaticum acceptum, verè Viaticum est, viaque ad beatam æternitatem. Deinde habere se agereque bono Deo gratias, æternasque acturum, quod eò loci ac temporis eum adduxisset.

adduxisset. Præterea semper destinasse, quæsisseque illud impensè, ut omnes solaretur, quantum ei fas esset. Denique ne post mortem quidem quidquam adeo cordi habiturum, ut secundas adversasque res Societatis. Hæc cum pronuntiaret, satis apparebat, illum loquendo non parum laborare. Et certè perægrè sensa sua expromebat propter summam imbecillitatem. Itaque rogatus est ab aliquo Assistentium, ne ultra se torqueret. Cui Vincentius, *Non molestiæ*, ait, *sed magno solatio mihi illud est.* Tum iis qui aderant, universæque Societati benè est precatus. Quod ut ritè faceret, brachium illi attolli oportuit: nec enim vel ad hoc fati supererat virium. Simul missus, qui à Summo Pontifice indulgentiam bonamque precationem postularet: quam ipse cum singularis in Vincentium benevolentia significatione illicò concessit; ut qui ab ipso morbi primordio corporis illius valetudinem Medico suo sedulò commendarat, abiturientem animam votis, & quo licebat favore prosequeretur. Cùm igitur à Pontifice rediisset Italiae Assistsens, ægrum eo nuntio recreavit;

qui & grates Sanctissimo Patri maximas habuit, confirmavitque precaturum se Numen, ut eum ejusque regimen prosperis rebus ad universæ Ecclesiæ bonum cumularet. Et quia idem Italiæ Assistens per absentiam suam faustis Vincentii precibus impertitus non fuerat, petiit ut ne iis frustraretur: quare & illi, & nobis qui in conclavi reliqui eramus, majorem etiam quam prius vigore prospera comprecatus est. Exinde cum me ad lecti sui angulum animadvertisset, memor difficultatum, quæ editioni primæ partis Historiæ Societatis, vitam & institutum S. Parentis nostri complexæ, objiciebantur: pro suo in S. P. N. Ignatium studio, etiam hoc rerum statu, propius ad se accedere jussum sic affatus est. *Non agis mecum de negotio & vita Divi; non indicas quo loco illa relinquam. Bono, respondi, Deo fortunante, paucosque intra dies negotium est conficiendum. Tum ipse oppidò lætus oculos in cælum sustulit, Deoque gratulatus, Dolebam, ait, profectò pro meo in persanctum illum virum, Patremque meum optimum amore. Ita ipse, verè genuinus Ignatii filius, cui suprema*  
*cura,*

cura, cultus Sancti Parentis fuit. Demum morbo in dies invalescente post elusa omnia remedia humana die Junii 8: qui in feriam tertiam incurrebat, ad dimidiatam octavam matutinam, quarto & sexagesimo ætatis anno Christi 1649. inter suorum lacrimas, precésque totius Domûs, & Societatis Romæ degentis, mortem tam diu, totque votis expetitam placidissimè oppetiit, ut vitam immortalē nævi omnis exortem Deo viveret. Vir fuit à teneris usque unguiculis ad supremum vitæ spiritum, Deo devotissimus. Inerant illi principales, & heroïcæ virtutes, sublimis opifices sanctitatis: nempè eximia in Deum charitas, juncta pro more assiduæ cum eodem familiaritati, & judicii voluntatisque cum divina similitudini: tum perpetua sui abdicatio, demissio altissima, extrema paupertas, despicientia commodorum honorumque non vulgaris, studium salutis animarum ardens & efficax, aliæque de quibus posteriore libro. Eo mortuo certatim expetita, correptaque ad cultum, quæ illius erant, omnia, etiam minuta. Quippe magnus est sanctitas, & terreno potentior,

Obitus,

non attrahit ipsa modò, sed & quæcumque contigerit, eâdem virtute afficit, Neapolis & Vicentio natalis & diuturnæ habitationis sedes, cor ejus sortita est, & magnificentissimè parentavit demortuo, utique optimo Patri & carissimo Magistro; quod & alibi factum. Romæ ingens hominum concursus, quos opinio virtutis ejus eximiæ excitarat, funus honestavit. Nec præpediri cohiberive potuit vis piæ multitudinis ad contactum conspectumque irruentis. Elegerat in Vicarium Generalem Societatis, usque ad proximam congregationem, R. P. Florentium de Montmorency, Germaniæ Assistentem hâc formulâ: *JESU nomine invocato. Juxta mentem N. S. P. Ignatii, eligo & nomino in Vicarium Generalem post mortem meam, P. Florentium de Montmorency Germaniæ Assistentem. Defunctus officio, defunctus saculo, æternitati victurus, spero. Unica spes mea, JESUS: post JESUM, Virgo Maria, Roma 23. Octobris 1646.*

CAPUT

## CAPUT XIII.

*Sapientum de vita & virtutibus  
Vincentii judicium.*

ET si innata sanctimonix lux ac pul-  
 chritudo longè certius clariusque  
 eam prodat, quàm innumera illius elo-  
 gia, testimoniaque: quia tamen & hæc  
 illam ornant, & adversus lusciosorum ob-  
 trectationes tuentur, & peræquè ab igna-  
 ris atque à sapientibus percipiuntur, non  
 abs re facturum me duxi, si nonnulla de  
 Vincentii sanctitate producam. Ac pri-  
 mùm veniat in mentem nominis *Angeli*,  
 quod angelica illius à puero innocentia  
 ipsi peperit. Nam & flosculus elegans  
 integerque, generosi fructûs spem facit.  
 Obversetur etiam concursus ille schola-  
 sticorum fieri solitus, ad eum, dum per-  
 transibat, visendum: Impressa item ani-  
 mis spectantium pietas, & rerum huma-  
 narum despicientia solo illius aspectu.  
 Præterea ejusdem collatio cum B. Aloysio  
 Ganzagâ; imò & prælatio Vincentii, si  
 speciem virtutis externam attendas.

Suorū  
de pue-  
ro &  
nostro-  
rum de  
juvene  
Judiciū



Nam Aloysius quidem, B. Magdalena Pazia teste, non è vulgaribus cœli proceribus est. Sic enim ipsa dum in ecstasi quadam divina illum prædicat: *O quanta est Aloysii Ignatiana prolis gloria! nunquam credidissem, nisi Dominus meus JESUS mihi demonstrasset. Nulla, si fas est ita loqui, gloria par illi videbatur, quam in Aloysio conspicabar. Aio Aloysium non mediocri esse sanctimonia. Sunt è Cœlitibus quos Ecclesia veneratur, quos non existimo tantâ illustrari gloriâ. Per-vagari vellem totum terrarum Orbem, ut ubique vulgarem Aloysium Ignatii filium præstanti esse sanctitate. Hæc Pazia.* Ex quibus patet præter egregiam B. Aloysii laudem, Vincentii nostri cum illo colationem à sapientissimis viris utriusque coævus ac familiaribus in vitam, sat ponderis habere ad eximiam virtutem illi afferendam. Ceterum cum in ejusdem Aloysii honorem publica flagellatio in Collegio Neapolitano instituta, & proximè finita esset, quidam è Sacerdotibus ad alios conversus, Cernitis illic, ait, Patrem Vincentium Carafam? (nam tunc quidem ibi degebat) tempus erit, cum publica  
 flagellatio

flagellatio in ejus quoque honorem instituetur. Certè Sancti nomen vulgare illi apud nostros pariter atque apud alios seu Religiosos seu sæculares fuit. Et Mutius quidem Vitellescus, Societatis Præpositus Generalis, isto nomine illum appellare solitus erat. Quocirca viro cui-dam è nostris gravissimo Româ Neapolim discedenti; *Amplētere*, ait, *nomine meo sanctum illū Patrem Carafam*. Franciscus autem Picolominæus Vincentio in ea dignitate suffectus, cū post sesquiannum gubernationis, gravissimis, quibus demum extinctus est, calculi doloribus urgeretur, Vincentii opem tamquam in cælo regnantis implorabat: intendens cum veneratione affectuque in ejus imaginem oculos, eumque simul cum S. P. N. Ignatio nominatim compellans. Ad hæc Pater Joannes Evangelista de Gattis (è Societate, vir notæ Neapoli virtutis, quam præter cetera abundè probavit invicta patientia asthmatis, tam diuturni ac difficilis, ut per octo & viginti annos eum super strato cubare, vestesque ad quietem exuere non permiserit) interrogatus quo numero haberet Vicen-

tium, *Et*, respondit, *quo sanctissimos in Ecclesia viros. Imò, aiebat, existimo haud esse nunc toto orbe sanctiorem*, addiditque inter alia videri perpetuum miraculum; suæque sententiæ causas & firmamenta protulit.

ac præ-  
fertim  
P. Fran-  
cisci  
Mastrilli

Sed inter cetera locupletissimum, ac relatu dignissimum est P. Francisci Mastrilli de Vincentio iudicium. Quod priusquam depromam, operæ præmittere. Hic igitur ille est, quem insueto celebrique jam orbe toto miraculo S. Xaverius morti, cui proximus erat, eripuit: ereptumque voluit apud Japonas mortem quærere, martyrii palmâ illustrem; quam palmam diuturna horrendaque supplicia, heroicâ virtute Christi causâ tolerata, post quatuor quasi ambitus annos (tot enim illius curationem inter & mortem fluxere) tandem tulerunt. Non levis porro conjectura est prodigiosam illam opem Vincentii precibus deberi. Eâdem enim nocte, qua contigit, ipse id temporis Collegii Neapolitani, atque adeo Mastrilli Rector, de genibus orans, ad cervical moribundi acclinatus caput,

caput, hærebat: cumque identidem se erigeret, rogatus, est à quopiam è Nostris, quot horis Mastrillum supervicturum crederet. Cui Vincentius, capitis succussu quæstionem repellens, *Non est, ait, abbreviata manus Domini: spero equidem ex eo morbo minimè obiturum.* Rursúmque admoto ad cervical capite, preces resumpsit. Spem autem ab oraculo profectam esse, postmodum abundè confirmavit. Cùm enim hominem de Societate cum morte colluctantem comperisset, qui hodièque vivit, voce fidentia plenâ, *Noli metuere,* ait moribundo: *tametsi denuò Xaverium devocare cælo deberemus.* Ergo Mastrillus beneficam Vincentii vim expertus, uti & sanctissimam vitam cum aliis Neapolitani Collegii domesticis frequenter suspexerat, sic de illo scribit ad P. Balthasarem Porticellam: *Pater Vincentius Carafa; sanctus, sanctus, sanctus. Desunt mihi verba, quibus me aptius explicem. Illi me singulis momentis commendo, & spero fore magnum Societatis lumen, quemadmodum iam est omnium speculum.* Hæc Mastrillus, Porticellâ ipso teste, litteris ad P. Mutium

Mutium

Murium Vitellescum Societatis Generalem Kalendis Juniis anni 1644. datis Palapago, quæ sedes est (Residentiam vocamus) Insulæ Ibabao, unius è Philippinis. Idem Clarissimus Martyr, Manilâ (Philippinarum est caput) ad Vincentium scribens, eumque salvere extremum jubens, quando proximè in Japoniam navigaturus erat, sic in epistolæ calce affatur: *En, Pater, à prælio minimam distamus. Laudetur Dominus IESVS, qui post itineris quatuor continentes annos, tandem me ad hunc locum adduxit, tot ab hinc annis expetitur. Enimvero spes mihi est fore, ut paucis post diebus (nisi peccata mea tam felicem sortem mihi præripiant) inter patibula tortorésque me circumspiciam, medio in foro urbis alicuius Japonicæ. Utinam istic Reverentiam vestram mihi adstantem intueri liceret, ut eius ex aspectu animos virésque ducerem ad patientiam tormentorum! quod cum minimè merear, eam saltem vehementer obsecro, servus ipsius & filius, ne subsidium suum spirituale, quo maximè indigeo, mihi deesse patiatur. Certè quidem propensissima illa voluntas, qua Reverentiam*

*tiam*

tiam vestram semper & colui & amavi,  
huius ipsius imaginem adeo cordi impressit  
meo, ut nec locorum nec temporum inter-  
vallo deleri queat, aut ego isto solatio pri-  
vari. Quamquam cogor fateri, gravissimè  
me dolere, quòd ex sancta consuetudine  
exemplòque Reverentiæ vestræ, non eum,  
quem licebat, ceperim fructum. Quod qui-  
dem non inde evēnit, quòd amissi boni  
notitia, ut fit, maior ac luculentior sit,  
quàm fuerat præsentis: non profectò: num-  
quam enim non optimè illud agnovi, ac  
singulariter, uti par erat, suspexi; sed  
quod, uti uti illud agnoscerem, non satis ha-  
bui animi ac virium ad imitandum. Vale,  
mi Pater, dum una inter nos in cælo vi-  
deamus, & agamus inter servos, & de-  
votos honori Illustrissimi Patris S. Fran-  
cisci Xaverii, portantes manipulos no-  
stros. Conquiesce, mi Pater, filius tuus ad  
bellum tendit, ad præliandum prælia Do-  
mini. Et quia extremum fortasse scribo  
Reverentiæ vestræ, missionem peto à dul-  
cissimo meo Patre Vincentio Carafa, cum  
lacrymis, quas animi teneritudo lætitiã-  
que exprimit. Vale millies & millies,  
Manilæ 28. Junii 1637. Denique ex  
Patribus

Patribus, qui Vincentio convixere aliquamdiu, nullus erat, qui eum non duceret sanctum. Et quandoque audivi gravissimos viros (qui universim cognorant celeberrimos quosque sanctitatis famam Societatis homines, in Germania, Hispania, Gallia, Lusitania) asserentes neminem se comperisse solidarum virtutum perfectione parem Patri Carafæ. Unde ingens omnium existimatio ac veneratio illius: quippe quæ etiam vetaret, ne quis ex affectûs propensione familiarius, quàm cæteri, eo uteretur, & cubiculum ejusdem ingressos, vel ex officio, sacro quodam horrore percelleret, non minus quàm si sanctiora quædam adyta subiissent: alios sola illius recordatione ad difficillimos dæmonis insultus pervincendos animaret, ac corroboraret: nimirum astra benigna lucis vehiculo vim arcanam influunt.

Item  
exter-  
norum  
de ejus  
sancti-  
monia  
opinio

Ea porrò, quibus etiam vivus utebatur, studiosè exquirebantur, & reverenter, ut sacræ Beatorum reliquiæ, habebantur: ac potissimùm capilli, cùm tonderentur. Quondam necesse fuit dentem illi evel-  
lere, dolorum ingentium fontem. Fuit  
qui

qui eum à chirurgo emere vellet magno. At hic nec prece nec pretio induci potuit, ut eum alteri transcriberet: afferebatque nec cum totius Orbis auro reliquias hæc Vincentii commutaturū. Sæpè precaria corolla, aut ipsi ablata, aut mutata cum alterâ: Qui obtinere vellet, pro dolo, speciosam minùs, magisque vilem illi offerebat, ut eo promptius suam donaret: priùs autem quàm traderet, intingere suam aquæ lustrali solitus erat: ut, quemadmodum aiebat, malum omne ac vitium quod usu ac contactu illi afflaverat, detergeret. Regina ipsa Poloniæ voluit illius corollam ab ipso sibi postulari, disertè significans illam se expetere, quòd Sanctum virum censeret. Obtinuit, ipsique per litteras benevolentia notis insignes, gratias egit. Et P. Joannes Monbræus Varsoviâ 5. Junii 1649. ad Vincentium datis, quanti illam æstimaret, ita perscribit: *Corolla precaria, & numisma,* quod Paternitas vestra offerri jussit suæ „ Majestati per R. P. Provincialem, tam „ grata illi accidere, ut dictu difficile sit. „ Interdiu noctuque fert pendulum è collo „ Numisma, & è cingulo corollam: hono- „ ratissimo



„ ratissimo cellæ suæ loco reposuit reli-  
 „ quias, quas à Paternitate vestra ipsi detu-  
 „ li; itémque coronam 5. vulnerum Christi.  
 „ Agnoscit præterea valetudinem suam,  
 „ cum aliqua miraculi specie recuperatam,  
 „ meritorum precumque Paternitatis ve-  
 „ stræ potius, quàm *ullius alterius fructum*  
 „ esse. Hactenus Pater ille. Non potuit

Ad In-  
 dos ul-  
 que  
 perva-  
 dens.

porrò Europæ finibus circumscribi splen-  
 dor sanctimonix Vincentii. Etenim ma-  
 gnæ faces lumen longè latèque fundunt.  
 Orientem igitur & Indias penetravit.  
 Atque hinc Religiosus quidam è S. Fran-  
 cisci familia per litteras Vincentii chiro-  
 graphum petiit: tamquam reliquias ho-  
 minis, de quo olim Beatorum Catalogo  
 ab Ecclesia adscribendo oraculum esset.  
 Quod unde acceperit, haud scio. Appen-  
 dicem credo additam vaticinio R.P. Ber-  
 nardini Realini suprâ capite 3. relato de  
 futurâ Vincentii sanctitate illustri; ex in-  
 genio famæ bona pariter ac mala paula-  
 tim augentis: tametsi procliviùs mala.

Illustris  
 apud  
 Italos

Ceterùm, in Italia illius nomen magis  
 quàm alibi inclaruit: maximè autem in  
 Regno Neapolitano, ubi & diutiùs vixit,  
 & ad Numinis gloriam ampliùs desudavit.

Dum

Dum Provincias istius Regni lustrabat, eum Principes certatim in palatia sua invitabant, saltem ad unius noctis hospitium, nimirum ut aliquid eorum, quibus usus fuerat, impetrarent, uberem & amplam, ut rebantur, hospitii sui, & cujuscumque officii mercedem. Quod attinet ad Nobiles Sodalitii Neapolitani Equites, erat qui Vincentium ipsum vivas ac sacras reliquias, erat qui alio ejusmodi nomine; alii non aliter quàm Sanctum vocitabant. Vix Admiralius Castellæ, Prorex Neapolitanus creatus erat, cùm eum in palatium accitum, amplexuque benevolè dignatum rogavit, ut se amicorum numero accenseret, & fratris loco duceret. Et promissum ab eo exprimere conatus est fore, ut se in regendo dirigeret, libereque officii admoneret: vicissim pollicitus, etiam interposito jurejurando, numquam se passurum Vincentium audientiam suam vel momento opperiri, ne propter haud levem ab aula alienationem, ipse se ab ea summove- ret: Denique quidquid indicaret ad obsequii divini rationem pertinere, effectum se daturum; quamvis alioqui nulla

Nomi-  
natim  
Equitū  
Soda-  
lium:

P conscient-

conscientiæ lege ad id obstrictum. Tandem antea Medinae Dux dixerat: sed Vincentius vel ideo quòd illi propinquus erat, & liberiùs, & quàm poterat maximè, ejus congressum vitabat. Marchio quoque de los Velez, cùm in Siciliam, ut summo istic jure Regis nomine præesset, per Neapolim iter haberet, Vincentii congressione, & divino spiritu, orationeque ad Nobiles Equites in secreta congregatione habitâ frui voluit: conscientiæ rationes omnes illi exposuit, consiliisque ad gerendum munus appofitis ab eo instructus fuit. Inter Sacros Præsules, non impare dignitati judicio Episcopus Puteolanus ex Ordine S. Augustini, atque ex nobilissima Ponteleon familia, ad Insulas evectus, quotiescumque Vincentio fiebat obvius, tamquam sancto viro manus osculari volebat. Galipolitanus item Antistes in quadam epistola sua virum sanctum, magnumque Dei famulum nuncupat. Sed Monopolitanus suum de sanctimonia illius judicium luculentius ceteris esse voluit. Nam cognitâ ejusdem morte persuadere sibi non potuit, aut missam mortualem (quam

Sacro-  
rum itē  
Præsulū  
de eo  
existi-  
matio.

(quam de requiem appellant) faciendam esse, aut æs campanum de more tamquam pro mortuo pullandum. Ratus igitur Beatum, de SS. Trinitate in gratiarum actionem Sacrificiū patravit. Deinde templum nostrum ac funebre pro Vincentio officium præsentia cohonestare rogatus, cenotaphium cereis ardentibus è palatio suo missis collustrari jussit, addens id se in gratiam gloriamque Sancti præstare; rursumque de SS. Trinitate missam fecit. Cardinalis Filomarini, Neapolitanus Archiepiscopus acceptis de ejusdem occasu nuntiis mœrorem animi haud obscure testatus, pro suo non vulgari boni publici studio, subjecit non esse Deo insuetum, priusquam luculentam populo Christiano plagam infligat, sanctos viros, qui precibus illigare sibi manus, irasque mitigare queant, de medio tollere. Et verò timere se, ne Vincentii mors grande aliquod infortunium porrendat. Cardinalis Altieri lecta oratione P. Nicolai Zucchi de Vincentii sanctitate ad Nostros habita, cujus exemplum expetierat, manu sua scripsit cepisse se voluptatem ex illius totius lectione, magis

Pontifi-  
cis præ-  
sertim

ac magis confirmari. Verùm cæteris præ-  
habendum est SS. Patris INNOCENTII X.  
hodie ad clavū sedentis super hac ipsa re  
judicium. Semper enim ille Vincentium  
pro viro penitus Deo devoto habuit,  
multaque dixit huic iudicio consentanea.  
P. Famiano Stradæ alterum historiæ suæ  
volumen sibi offerenti 20. Feb. 1648.  
affirmavit magno sibi in pretio esse So-  
cietatem, cùm ob perpetuos in Ecclesiæ  
commodum susceptos labores, tum quòd  
Generalem sanctum sortita esset, adjun-  
xitque se non posse huic denegare, quas  
peteret, gratias. Et humanitatis hujus  
eximiæ testem laudare habeo ipsum Vin-  
centium, cujus fragmentum epistolæ ad  
hominem de Societate sibi intimum ad-  
scribo. Sic igitur ipse. *Fam nunc à Pon-  
tificæ redeo: vix credat, quantâ benevo-  
lentiâ comitatéque me acceperit. Egi cum  
illo non secus quàm cum Reverentia ve-  
stra agerem. Opem suam mihi præsidium-  
que, quavis illius occasio se det, addixit.  
ac demum meis se precibus commendavit.  
Reposui me pro illo frequenter quot diebus  
Deum precari, insuper quot hebdomadi-  
bus eidem transcribere tria sacrificiorum  
millia,*

*millia, ex iis quæ Societas mihi suppe-*  
*ditat. Magnam inde lætitiã osten-*  
*dit, affirmavitque hoc doni magni se fa-*  
*cere, sapiusque pro eo grates mihi egit,*  
*disertis verbis asserens magnum esse the-*  
*saurum. Ita Vincentius litteris 15. Jan.*  
*1647. datis. Aliàs idem Summus Rei-*  
*publicæ Christianæ Antistes, cùm So-*  
*cietatis Vicarius Vincentii mortem re-*  
*cens obitam ei nunciaret, Gravis,*  
*inquit, iactura hæc est. Magni illum*  
*pendebam: & vel solo ipsius aspectu*  
*piè me commoveri sentiebam. Paulò post,*  
*Patri Gravita de eodem obitu cum illo*  
*agenti, Factura, respondit, illa vestri*  
*Patris vehementer me afflixit. Certè*  
*eximius erat Dei servus. Tanta cum*  
*humilitate, modestia & submissione ad*  
*nos accedebat, ut eius agendi ratio valde*  
*mihi probaretur. Ad minimum volun-*  
*tatis meæ nutum obsequentissimus erat, &*  
*ad urgendam illius expeditionem effica-*  
*cissimus. Cùmque Gravita subjiceret il-*  
*lustriora ad illius commendationem*  
*comperta esse, quàm eo vivente vulgo*  
*creditum à nobis esset; imò & eximia*  
*& prodigiosa (ea intelligebat quæ ex*

oratione funebri audieramus) subjunxit Pontifex, *Id sibi minime mirum videri: fuisse siquidem eximium Dei servum.*

